Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Konrad Friedlieb Johannes Schultze

De Processu Iudiciario Civili Et Feudali Tractatio Synoptica

[Gryphiswaldiae]: Doischerus, 1673

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0001
DFG

K. K. — 2 (118.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0002
DFG

1. Baleden von Wiederherstellung der in anderer benachbarten Mächte Hände gerathenen mecklenburgischen Aemter, in Ansehung des Herzogs Christian Ludewig.
2. Balecke de pactis conjugum successoriis secundum jura Rostochiensia
3. Idem de donationibus inter conjuges.
4. Schorch de cumulatione petitorii cum possessorio.
5. Majus de bonarum artium in promovenda mercatura utilitate.
6. Fischer Panegyricus Friderici II. Borussorum regis.
7. Loeber de mutatione formarum in vestibus. von Veränderung der Kleider Moden
8. Schoetgen de polis in vestitu.
9. Schmidt. Coecus de colore judicans.
10. Schroeder de rusticis eruditione claris
11. Sidel de obligatione hominis ad religionem.
12. Kahl de divinatione.
13. Nexus Pomeraniae cum S. R. G. Imperio.
14. Besserer de interventione post sententiam.
15. Birckner de decreto quod de electione episcoporum fit.
16. Blaaw. de societate.
17. Boehmer de legitima cadaveris occisi sectione.
18. Trendelenburg oratio in natales Ducis Friderici
19. Meister vindiciae legislationis Justinianeae de mixto tempore computando.
20. Bunekau de separatione liberorum ex jure Germ: inprimis Lubecensi.
21. Species facti von der zu Dobbertin 1738. gehaltenen Prediger Wahl
22. de Friedensberg de jure ejusque recta docendi et discendi ratione.
23. Gesterding de tractandi jus Romanum methodo.
24. Harpprecht de usufructu statutario materno
25. Böhmer ob nach der alten mecklenburgischen Kirchenordnung von Jahr 1552 der Superintendens von den Patronen in ihrem patronat Kirchen zu den Prediger Wahlen zugezogen werden müsse?
26. Friedlieb de processu judiciario civili et feudali.
27. Idem de jure revocandi feuda
28. Idem de aegrorum jure et privilegiis.
29. Müller de subtili disputandi ratione in causa publicae utilitatis rejicienda
30. Hertel de tutore alienae jurisdictionis.
31. Bastineller observationes forenses.

32. Bastineller num liberis absentes pactiones a matre de bonis post obitum dividendis cum aliquibus liberis initae ignari, mortua matre illam debeant implere?
33. Winckler de expensis termini.
34. Bastineller selectae quaedam a Dd. receptae sententiae examinatae et refutatae.
35. G. B. Bermann de obligatione mandantis erga mandatarium fines mandati excedentem.
36. Bastineller de successione viduae ex lege Halensi.
37. Brantsen de remissione et mitigatione poenarum.
38. a. Brandwyck ad L. Ἀξιωσις 9. de L. Rhodia de jactu.
39. Brandt de legitima maleficos et sagas convincendi ratione et investigandi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0004
DFG

I. N. J.

De PROCESSU JUDICIARIO CIVILI ET FEUDALI Tractatio Synoptica,

Quam

Consensu Amplis. Facultatis Juridicæ
in celeberrimo Athenæo Gryphico,
PRÆSIDE

DN. CONRADO Friedelich/
U. J. D. Placitorum Feudalium
& Juris Publici Professore Ordinario Regio,
Hospite ac Studiorum suorum Promotore
devotè colendo,
Publicæ Eruditorum Disquisitioni
sistit
in Auditorio Majori
horis suetis d. [illegible] Januar.

JOHANNES SCHULTZE,
Friedlandiâ Meklenburgensis.

E Typographéo MATTHÆI DOISCHERI, Acad. Typogr. 1672.

Ad Lectorem!

Cum turpe sit Patricio Jus, in quo versatur, ignorare, Jus verò in actionibus & Judiciis se potissimùm exerat, dum est disciplina practica, quæ expetit scire non propter scìre, sed propter scì agere, volupe est in præsens Ordinem Judiciorum, *seu* Processum Juris, *quò omnia Jura in unum ferè confluunt, strictâ, non tamen damnosâ brevitate, in tabella quasi exponere: Et ne isto nomine, ac si Iliada post Homerum scripserim, sugiller, patrocinatur confestim instituti ratio, quæ ostendit, me Synopsin tradere, eamq; ad usum nostri fori nec minus contermini Mecklenburgensis accommodatam, id quod non est actum agere, sed fusè dicta ad propositum communitatis, cui omnis actio litat, in compendium redigere. Fave igitur,* Candide Lector, *honesto instituto & nos ama!*

AUSPICE DEO!

TRACTATIONIS SYNOPTICÆ
DE

PROCESSU JUDICIARIO

SECTIO I.
DE PROCESSU CIVILI.

§. 1.

JUdicia, justumq; eorum ordinem in Republicâ adornare, perneceſſarium eſſe, ſacri pariter ac profani Codices loqvuntur, arguente textu *Gen. 3. Exod. 18. v. 13. Rom. 13. Act. 22. Ariſt. 6. & 7. Pol. c. 8. junct. 2. Rhet. 1. & l. 2. ff. de Orig. Jur.* Cùm enim naturalis hominũ ad diſſentiendum ſit facilitas, *l. 17. §. 6. ff. de Recept. qvi arbitr.* interim nemini ſibi ipſi jus dicere permittatur, *l. un. C. ne qvis in ſua cauſa. l. 17. ff. de Judic. l. pen. ff. Recept. qvi arbitr.* ne inde majoris tumultus occaſio reſultet, *l. 176. ff. de R. J.* huic compeſcendæ omninò Judiciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio ponenda fuit, ne quis ſibi ipſi permitteret ultionem. *l. 14. C. de Jud. & Cœlic.* Quod penſitans *Caſſiodorus lib. 4. var. form. 10.* Notanter inquit, legum reperta eſt via & ſacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu, ne à bellicâ confuſione pax tranquilla nihil diſtaret, ſi per vim litigia terminentur: Atque hinc eſt, quod ad Prætoris officium pertinere dicitur, lites deminuere, *in l. fin. ff. de R. C.* imò ad ipſius jurisdictionem ſpectare, lites componere. *l. 13. §. 3. ff. de Uſufruct.* Judicii neceſſitas.

§. 2. *Judicium* autem dictum quaſi Juridicium, eò quòd, quicquid ibidem dicitur, jure dici debeat. *Caſſiodorus 11. var. 9. eſt legitima controverſiæ inter litigantes* Definitio.

ventilatæ apud Judicem tractatio & dijudicatio. Wes. in parat. ff. de Jud. n. 5. Rosbach. Prax. civil. tit. 1. n. 3. Mejer. coll. Jur. Arg. lib. 5. de Jud. th. 1.

Divisio. §. 3. Dividitur (1) ratione *causæ efficientis* in *Ecclesiasticum*, ubi coram Judice Eccles. de causis Clericorum, vel inter ipsos Clericos, vel Clericum & Laicum, Clerico sc. existente reo, disceptatur, & *Seculare*, ubi coram Judice Laico inter seculares lis agitatur. Utrumque vel *competens* est, vel *incompetens*, & illud rursus vel *ordinarium*, vel *delegatum*, *Mejer. colleg. J. A. th. 5. de Jud.* (2) Ratione *Finis* in *Civile*, quo litigantes primariò privatum propriumq; persequuntur commodum, quod est è dominio, contractibus, vel privatis delictis ad suum persequendum, vel *Criminale*, quo agitur ad pœnam corporalem reo infligendam, vel pecuniariam fisco applicandam, sive è delicto publico, sive privato, adde *Marant. in Spec. aur. p. 4. dist. 1.* (3) Ratione *Formæ* in *ordinarium*, seu *plenum*, ubi solemnis & usitatus procedendi modus observatur, & *Extraordinarium*, seu *Summarium*, ubi sine solenni figurâ de plano proceditur, non tamen omissis substantialibus processus, vel iis, quæ necessariò requiruntur, puta, citatione, probatione, sententiâ &c. *Zanger. de Except. 2 c. 2. pr. Mar. d. p. 4. dist. 9. Carpz. Proc. Jur. tit. 1 §. 3. n. 23. & seqq.* De ceteris divisionibus, quarum ratione modò *petitorium* est, ubi de dominio agitur, modò *possessorium*, ubi de possessione, modò *publicum*, vel *privatum*, modò *capitale*, vel *non capitale*, modò *conventionale* & *reconventionale*, consulas *Rosbach. d. l. tit. 1. n. 4. & seqq.*

Personæ id constituentes. §. 4. *Personæ Judicium constituentes* vel *principales* sunt, vel *minus principales*. *Principales* sunt *Judex*, *Actor* & *Reus*:

Reus. Minus principales à parte Judicis *Assessores, Referendarii, Protonotarii, Fiscales, Tabelliones,* seu *Scribæ, Executores, Apparitores,* seu *Viatores &c.* à parte litigantium, Actoris sc. & Rei, *Consortes ejusdem litis, Advocati, Procuratores, Defensores, Tutores, Curatores, Syndici, Testes &c.* de quibus omnibus vid. *Rosbach. pr. civil. à tit. 4. usqve ad tit. 20.* junge *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 1. à tit. 3. usqve ad tit. 16.* Pomm. Hoffg. Ordn. *à tit.* von des Verwalters Ampt/ *usqve ad tit.* von der *Curatoren ad litem* Eyd. & Fürstl. Güstr. Cantzl. Ord. *p. 1. à tit. 2. usqve ad tit. 11.*

Justus ejusdem ordo, cujus initium est fori competentia.

§. 5. In ipso Judicii ordine, seu processu ritè rectèq; adornando omnium primo dispiciendum de *Judice competente*, extra territorium enim jus dicenti impunè non paretur, *l. fin. ff. de Jurisdict. Carpz. d. l. tit. 3.* & processus, utut coram Judice incompetente institutus est ipso jure nullus. *Schurff. Cent. 2. cons. 29. n. 4.*

Hujus causæ & fundamenta octuplicia.

§. 6. Agnoscitur autem Judex, seu forum competens ex octuplicibus causis: *(1) Domicilii*, ubi scil. reus habitat, quando actor sequitur forum rei, *l. 2. C. de Jurisd. omn. judic. l. 19. §. ult. ff. de Jud. l. 20. ff. ad munic.* *(2) Contractus*, vel *destinatæ solutionis*, *l. 2. §. 4. l. 19. §. 3. l. 45. ff. de jud. l. un. C. ubi conv. qvi cert. loc. dari promis.* *(3) Delicti*, per *l. 3. de offic. præsid. l. 7. l. fin. ff. de accus. & Authent. qva in prov. C. ubi de crim. agi oport. Nov. 69. c. 1.* *(4) Rei sitæ*, sive immobilis, sive mobilis, de qua controversia est, & vendicatio instituitur, *l. ult. C. ubi in rem act. l. 38. ff. de Jud. c. 3. & ult. X. de for. comp.* *(5) Qualificati litigii*, puta si causa sit *Ecclesiastica*, quæ qualis propriè sit & æstimari debeat, vid. P. K. O. *p. 3.* van der Kercken-*Disciplin. tit.* Verteckniß / wat Sacken vör dat *Consistorium* gehören. & *Ordin. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 1.* vel *feudalis*, aut per *appellationem lis devolvatur ad superiorem*, aut Judex

inferior efficiatur suspectus. *Carpz. d. l. tit. 3. art. 4.* (6) *Connexitatis causæ*, ut possessorii & petitorii, *l. 13. C. de R. V. l. nulli 10. C. de Jud. c. 1. X. de caus. poss. & propr.* (7) *Juris alicujus singularis*, sic pupilli, viduæ, ceteræq; miserabiles personæ, licet in Camerâ hoc non observetur, *Gail. lib. 1. Obs. 1. n. 40.* ad Principis curiam, quò sumtus lucrentur, aliasve difficultates evitent, causam deferre possunt, *l. un. C. quando Imp. inter pupill. & vid. l. 1. C. de off. div. Jud.* sic milites non nisi coram Magistratu militum, *l. 6. C. de jur. omn. Jud.* Studiosi sive in civilibus, sive criminalibus non nisi coram Rectore, *Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.* uxores demùm non nisi in foro maritorum, *l. 9. C. de Incol.* imò Clerici non nisi coram Judice Ecclesiastico conveniri queunt. *c. si Clericus. X. de for. comp.* (8) *Præventionis, l. 4. C. de Jurisd. l. 1. C. ubi de crim. Gail. lib. 1. Obs. 29.*

Procedendi modus, qui dirigitur pro ratione causæ in judicium deductæ.

§. 7. Post quæsitum competentem Judicem laborandum circa ipsum processum, ut debitè instituatur. Hìc ab initio examinanda est *causa* ad Judicem *delata*, an sit *ordinaria*, an *summaria*, adeoq; summariter, vel ordinariè tractari debeat, quæ qualis sit, ut cognoscatur, investiganda veniunt illius fundamenta, quæ potissimùm in causis summariis hæc sunt, scil. quod causam principalem non concernant, sed vel ad præparationem ejus, vel executionem spectent, vel ad ea, ubi è morâ damnum irreparabile infertur, vel de rebus maximè favorabilibus agitur, vel per se liquidis, vel etiam ad incidentem aliquem articulum pertineant, atque alio Judice facilè reparari queant, veluti quoad *incidentem articulum*, de probando impedimento ad secundam, vel tertiam dilationem impetrandam:

dam: Quoad *præparationem* (1) ad exhibendum. (2) Ex lege diffamari. (3) De possessione vacuâ consequendâ. (4) De judicio possessorio summariissimo. (5) De obtinendâ possessione ex Edicto D. Hadr. (6) De testibus examinandis ad perpetuam rei memoriam ante litem contestatam. (7) De Editione Instrumentorũ. Quoad *cetera in alio Judicio facilè reparabilia*, (1) de Arresto. (2) De Repressaliis. (3) De quæstionibus, an pater filium alere debeat, nec ne? (4) De excussione debitoris principalis ante fidejussores: Quoad *executionem*, (1) de rebus, quæ pignoris loco captæ sunt, in quas executio fieri debet. (2) De confirmatione possessionis. (3) De executione contra confessum & convictum. (4) De causa subhastationis, taxationis, liquidationis, expensarum, adjudicationis. Quoad *ea, ubi è mora damnum irreparabile infertur*, (1) de operis novi nunciatione. (2) De damno infecto. (3) De alimentis. (4) De tutorum & curatorum damnatione. (5) Quando res, de quâ controvertitur, peritura est morâ. (6) De refectione viarum publicarum. (7) De refectione fluminum, pontium, puteorum, canalium &c. Quoad *res maximè favorabiles*, (1) de contributionibus publicis. (2) De causis fisci. (3) De rebus ad causas pias pertinentibus Ecclesiæ, Academiæ, Hospitalis, Stipendii, & alterius piæ causæ. (4) De causis viduarum, pupillorum aliarumq; miserabilium personarum, tum etiam peregrinorum, die ein Gastgericht begehren. *Wehner. in Observ. Pract. lit. G. voc.* Gastgericht. Demùm quoad *res per se liquidas*, (1) wann auff klare Hand und Siegel geklaget wird, intellige illa instrumenta, quæ reus diffiteri, iisq; prægnantes exceptiones opponere nequit.

Possi.

Possi. H.G.O. *tit.* in welchen Sachen keines schrifftl. *Processes* nötig. (2) Ubi Reus confitetur. (3) Vel agitur aliàs causa executoria. (4) Si agatur ex causa spolii. (5) Quando Emphyteuta ob Canonem haud solutum expellendus. (6) Si ventiletur causa subhastationis. (7) Liquidationis. (8) Expensarum. (9) Inventarii. (10) Rerum hæreditariarum. (11) Nullitatis. (12) De causis voluntariæ jurisdictionis & similibus, de quibus vid. *Ord.S. Tr.R. Wism. p. 2. tit. 5. §. 1. &* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ord. *p. 2. tit. 4.*

Ex hujus divisione, quâ alia est ordinaria, alia extraordinaria, Processus vel est ordinarius, vel summarius,

§. 8. Ex his causis, vel si aliàs partibus ita placuerit, aut Judici è justâ causâ & ratione ita videatur, etiam in causis ordinariis, *Carpz. Proc. Jur. tit. 1. art. 1. n. 57.* Processus modò ordinarius, modò extraordinarius instituitur.

In hoc licet non attendatur solemnis procedendi forma, interim substantialia Processus omninò observari mexentur.

§. 9. In hoc, licet non observetur solennis procedendi & tractandi forma, quare etiam hîc libelli oblatio, litis contestatio solennis, articulorum exhibitio, excepta causa Nullitatum & Restitutionis in integrum, *Ord. S. Tr. R. Wism. d. t. §. 2.* probatio & reprobatio formalis, tum dilationes legales tutò omittuntur, à quali quali tamen (1) Actoris petitione cum facti narratione inchoandum. (2) Urgenda citatio. (3) Audienda Rei responsio & exceptio, quæ in continenti probari potest, non quæ altioris indaginis. (4) Ubi responsum, Actoris probatio per juramentum, ceteris omnibus exclusis, admittenda, nec non rei defensio. Demùm, (5) causâ utrinque sufficienter cognitâ, expectanda est in scriptis sententia. Ultimò & (6) admittuntur quandoque pro circumstantiarum ratione Exceptiones dilatoriæ juxta tenorem *Ord. S. Tr. R.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0012
DFG

Tr. R. Wism. una pro omni cum solennitate legali ad tres menses, *d. tit. §. 2.* positiones, interrogatoria, aliaq; juris positivi, id quod tamen irregulare est, & propterea Judicis prudentis arbitrio permittitur. vid. *Carpz. d. loc. tit. 1. art. 1. n. 30. & seq Rosbach. d. l tit. 21 n 9. dict. Ord. S. Tr. R. Wism. d. §. ibi:* ~~Nach Bewandniß der Sachen und Umbständt.~~

§. 10. In illo hic est procedendi modus: Actor ab initio adit Judicem, intellige competentem, & pro citatione ac processu impetrando, *libellum*, in quo totam suam intentionem exponit, eidem offert. Judex, utpote in facto alieno versans, & auditurus, utrum Reus, quod Actor intendit, fateatur, aut neget, post libellum oblatum *citat Reum* nominatim expressum sub proprio suo nomine ad instantiam Actoris etiam proprio suo nomine notati, causa, ob quam, vel ad quam citationi annexa, in locum judicii ad certum terminum, vel (1) *simpliciter*, prout res poscit, vel *peremtoriè* cum hac comminatione, se etiam absente parte adversa cogniturum de causa, *l. 71. ff. de Jud.* Et quidem *peremtoriè* vel ab initio, ubi hæc citatio tantum temporis requirit, quantum aliæ tres simplices, vel post tres dilatorias, aut tres, aut unam, prout Judici æqvum videtur, *l. 72. ff. de Jud.* Eamq; (2) vel per *denunciationem* à nuncio, seu præcone intimatam adornat, vel per *literas* sive privatim traditas, sive, cùm reus propter subterfugia sua, vel sui ipsius incertitudinem, dum multi sunt litis consortes, iisq; diversis in locis habitant, vel etiam ob loci inquietudinem ordinariè vocari nequit, publicè affixas, quæ & *citatio Edictalis* audit. Quo *priori casu* insinuatio facienda est, aut ipsi reo,

In illo solemnis forma ubique attēditur, eamq; per diversos actus absolvunt (1) Libelli oblatio, (2) Citatio, quæ vel simplex est vel peremptoria,

reo, aut ejus domesticis, vel etiam inscribenda, aut affigenda foribus, vicino quodam in testimonium vocato, ubi tamen nuncius diem & locum executæ citationis, personas item, quibus eandem tradidit, responsumq; acceptum bonâ fide consignare, &, prout stylus curiæ hodiè observat, coram Notario quandoque deponere necessum habet, ut sic vera illius relatio ad acta judicialia perveniat, conf. Pom. H. G. O. *tit.* von den Boten. §. wann die Parthey. & die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 11. §. 8. Posteriori* verò præterquam nil requiritur, quàm ut judicis & cujusvis loci observantiæ relinquatur, quanti temporis interjectu *Edictalis illa citatio*, seu *publicum Proclama*, in loco publico debeat esse affixum. *Harprecht. de Proc. Jud. disp. 1. thes. 152.*

vel Realis. Vel demùm per *citationem realem*, quando reum certis de causis, in civilibus sc. ubi aliàs regulariter non obtinet, propter suspicionem fugæ, quo casu etiam privatâ authoritate, judice absente, aut sui copiam non faciente, apprehendi potest, *arg. l. 10. §. 16 ff qvæ in fraud. cred.* vel personali & reali arresto simul, vel personali tantùm detinet, vel etiam in criminalibus, æquè ob suspicionem quidem fugæ, sed tamen hic magis regulariter per capturam ad judicium deduci curat, de quo conferas *Nov. 134. c. 12. & Rosbach. d. l. tit. 26. n. 4. & tit. 28. per tot.*

(3) Partis emanentis contumaciæ accusatio. §. 11. Factâ citatione tam actoris, quàm rei officium est, in præfixo termino comparere, si verò uterque emanet, vel unus ex illis, dicuntur *contumaces*, quandoquidem *contumacia nihil aliud est, quàm inobedientia à legitimè vocato erga Judicem non veniendo commissa, l. 53. pr. ff. de re jud.* & inde contumax dicitur, qui eam committit,

mittit, cùm trinâ vice, vel semel peremtoriè citatus est, nec venit, vel venit quidem, sed non paret judici, vel etiam ante tempus recedit. *Rosbach. d. l. tit. 30. n. 3.* Hæc autem contumacia tam in *Actore*, quàm *Reo* debitè punitur, si fraudulenter emanserint, crimen enim contumaciæ absque dolo non committitur. *Carpzov. Proc. Jur. tit. 7. art. 2. n. 14.* Undè variæ dependent pœnæ Actoris

Actoris pœna est (1) quòd reo comparente terminus pro circumducto habeatur, & reus ab observatione judicii absolvatur, non tamen ab ipsa actione. Deinde, si novam citationem impetrare velit, non prius audiatur, quàm reo expensas litis refuderit. *Auth. qui semel. C. quom. & quand. Jud.* Pom. H. G. O. *tit.* von *Contumacien. pr.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 8. §. 1.* (2) Reus ad litis contestationem & probationem admittitur, in causa proceditur, *c. causam. X. de dol. & contumac. Ord. Cam p. 3. tit. 42. §.* wo aber. & sententia, ad quam citandus est actor, pronunciatur, sive pro reo, sive contra reum, ut merita causæ ferunt, & quamvis reus præsens fuerit condemnatus, nihilominùs propter obedientiam judici præstitam, ad expensas litis actori non tenetur, *l. 13. §. 2. C. de Jud.* & *Ord. Cam. d. l. §.* würde aber. Pom. H. G. O. *d. tit.* von *Contumacien.* quæ sententia tanti est effectus, ut contra eam actor, sive succubuerit, sive vicerit, & aliquâ forsan in parte se gravatum putaverit, nullum remedium suspensivum interponere queat, cùm certum sit juris principium, *contumacem non appellare:* Si autem reus nihil probet, ab instantia judicii, ejusq; observatione absolvitur & posteà actor, refusis expensis, admittitur: *Rei* verò *pœna* est (1) quòd generaliter expensas restituere teneatur, quia eas causatus. (2) Si ante litem

Rei.

tem contestatam contumax extitit, mittitur actor in *actione reali* post annum è *primo decreto*, quod nihil aliud est, quàm *jussus Judicis, quo ob rei contumaciam actor, prævia causæ cognitione, in possessionem bonorum custodiæ causa mittitur, ut ea pignoris loco detineat, donec reus veniat responsurus, Rosb. dict. tit. 31. n. 1.* in rem, quam petiit, *l. 7. §. 17. ff. quib. ex caus. in poss. eatur. c. fin. X. ut lit. non contestata.* in *personali* verò *actione* pro modo debiti declarati, seu petitæ quantitatis in possessionem bonorum & quidem primò mobilium, post immobilium, ultimò jurium & actionum, *l. 2. C. de Prætor. pign. d. c. fin. X. ut lit. non contest.* P. H. G. O. *d. t. §.* imgleichen. confer die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. d. t. §. 2.* in servitutibus denique actor iis uti permittitur, donec reus probet, actori non licere. Etsi non venerit reus, purgetq; contumaciam, præstando unà cautionem de judicio sisti, actor è *secundo decreto*, quod est *alterum Magistratus mandatum, quo ob contumaciam, vel moram absentis debitoris actor antehac è primo decreto custodiæ causâ in possessionem missus post anni decursum, prævia causæ cognitione, verus possessor declaratur, vel etiam dominus esse jubetur, Rosb. d. l. tit. 32. n. 1.* in veram mittitur possessionem, ita ut posteà reus ad petitorium remittatur, *Auth. & qui jurat. C. de bon. aut. jud. poss. l. 8. §. 3. C. de præscr. 30. ann.* P. H. G. O. *dict. tit. §.* imfall dann. *Rosb. tit. 30. n. 26.* in cujus tamen decreti interpositione ex parte *Actoris* requiritur, ut petat, se verum possessorem, aut dominum pronunciari atque constitui, nec non reum ad hoc ex integro citari. Ex parte autem *Rei*, ut antequam aliquid decernatur, prius judex cognoscat, an fortè reus Reipublicæ causâ absit, aliudve legitimum impedimentum habeat, quo absentiam

tiam queat excusare. (3) Si post litem contestatam accidit rei contumacia, judex ad instantiam actoris procedit in causa, & probationem recipit, seu testes audit, instrumenta producta pro recognitis habet, & posteà fert sententiam, prout merita causæ exigunt, sive pro reo, sive contra reum, & quidem ita, ut adversus hanc sententiam nullum remedium suspensivum posthac interponi queat, tandem unà executionem in bona debitoris decernit, causamq; eâ ratione finit.

§. 12. Quod si verò reus compareat, offerendus huic venit *libellus*, ratione negotii ventilandi vel *civilis*, vel *criminalis*, isque vel *simplex*, vel *articulatus*, quamvis hic excepto casu, ubi offerendi probatoriales, ex ordinatione Cancell. Gustr. in causis civilibus non admittitur *p. 2. t. 11. n. 1.* è quo reus, sicuti *est brevis ac perspicua verborum conceptio tam judici, quam reo actoris intentionem demonstrans*, dignoscat, utrum cedere tutius sit, an contendere: Et tum vel è vestigio respondet reus, vel non, sed opponit *impedimentum feriarum intercedentium*, sive *solemnium*, puta ratione sacrorum Sabbati, *l. fin. §. 1. C. de fer. Ordin. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 1.* P. H. G. O. *tit.* an welchen Ohrten und wie offt im Jahr Gerichtstage sollen gehalten werden / ratione autem utilitatis civilis *Messium* & *Vindemiarum*, *l. 1. ff. de fer.* sive *minus solemnium*, puta *ob res Principis prosperè gestas, illius adventum, inaugurationem, nuptias, funus, aut aliam subortentem hostilitatem, seditionem & luem publicam indictorum, l. 26. §. 7. ff. è quib. caus. major. Wes. in paratit. ff. de fer. n. 3.* vel petit *dilationem*; & tum *superioribus* subscribit judex, nisi contingant ea, quæ sunt meri facti, vel pietatis,

(4) Libelli Reo comparenti facta communicatio,

(5) Impedimenti è parte Rei allegatio, ubi de feriis,

& petita dilatio.

tatis, aut voluntariæ jurisdictionis, vel in quibus aliàs periculum est in morâ, *c. 21. §. verùm pars altera. X. de Jud* prout sic tempore utut feriato latrones ad socios criminis indicandos, ne fugâ se subducant, torqueri, & benè arrestum, ut & sequestrum concedi possunt. *l. 10. C. de fer. Brunn. in C. ad l. fin. de Episc. aud. l. fin. C. de fer. Mev. de Arrest. c. 11. n. 4. Carpz. pr. for. part. 1. const. 19. def. 16.* *Posteriorem* verò, licet in causis civilibus & pecuniariis regulariter de Jure civili tantùm una, in criminalibus verò accusatori duæ, reo tres indulgeantur, *l. ult. ff. de fer.* juxta observantiam cujuslibet Curiæ pro arbitrio, examinatis causis, rerumq; circumstantiis, concedit, ita ut etiam secunda & tertia, quandoque etiam quarta, non tamen nisi cum solennitate judiciali, ut scil. petens juret, se non malitiosè eandem expetere, permittatur, vid. *Rosb. d. l. tit. 37. n. 9. Gail. 1. Obs. 91. n. 4.* P. H. G. O. *tit.* von Zeit der Beweisung. ibi: auch die vierdte Frist aus keinem Betruge / Argelist / oder Gefährde begehren.

(6) Rei ad libellum Actoris responsio, quâ proponuntur Exceptiones modò Dilatoriæ,

§. 13. Post decursum feriarum & finitam, vel etiam non impetratam dilationem, rei officium est, ad libellum actoris, propositamq; illius petitionem respondere, quod plerumque, dum reorum est fugere, per *exceptiones* expedire satagit, afferendo mox *dilatorias*, seu *temporales* ipsi; vel ratione *Judicis*, & *Judicii*, quòd scil. *Judex* sit *incompetens, infamis, suspectus, aliove modo inhabilis*, aut ipse locus judicii sit intutus, vel respectu *litigantium*, puta, quòd actor sit pupillus, aut infans, sine tutoris autoritate acturus, vel reus fortè parens, patronusve actoris & quidem sine venia in jus vocatus, quæ tamen exceptio, nisi actio fuerit famosa,

mosa, aut pudorem harum personarum sugillet, *arg. l. 10. §. 12. ff. de in jus voc.* hodiè ob cessantem edicti Prætorii rationem, violentam scil. in jus ductionem, nil prodest, vid. *Cuj. 10. Obs. 10. Ant. Fabr. in C. l. 2. t. 2. Def. 13. Carpz. Proc. Jur. tit. 7. Art. 1. n. 39. & seq. ad d. Sect. 2. §. 9.* aut Procurator mandato destituatur, vel demùm respectu *causæ competentes*, dum scil. in ipsa causa aliquid delitescit, quod litem differt, ut est Exceptio pacti conventi, ne intra certum tempus petatur, plus petitionis &c. *§. 10. Inst. de Except.* quas omnes ut de jure communi unâ vice proponere decet, *c. pastoralis. X. de Except.* ita moribus nostris unà cum iis litem in eventum contestari oportet, P. H. G. O. *tit.* von dem Beklagten. §. damit wir auch ꝛc. Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 17. §. 1.* mox *peremptorias*, seu *perpetuas*, vel etiam *privilegiatas* allegando, quarum *priores* ipsam quidem actionem perimunt, post litem tamen demùm contestatam opponi merentur, ut sunt *doli, metus, pacti de non petendo, Macedoniani, Vellejani &c.* *Posteriores* verò litis contestationem impediunt, eò quòd illarum oppositione manifestum reddatur, aut actionem planè non competere, vel jam esse sublatam & peremptam, quò spectant *Exceptio Rei Judic. Transactionis, Jurisjurandi, Solutionis &c. d. c. 1. de lit. contest. in 6.* quæ tamen moribus nostris, nisi in ipsa oppositione liquidentur, litis ingressum haud impediunt. P. H. G. O. *tit. de Except. p. 4.* modò Peremptoriæ.

§. 14. Ut autem hactenus per exceptionem reus intentionem actoris, ejusq; actionem excludit, ita hanc perimit actor sua *Replicatione*, utpote quæ *nil aliud est, quam exceptionis à parte agentis oppugnatio, l. 2. §. 1. l. 22. §. 1. ff. de Except. Rosb. dict. loc. tit. 44. n. 1.* Hanc itidem (7) Actoris Replicatio.

(8) Rei Duplicatio. (9) Actoris Triplicatio (10) Rei Quadruplicatio,

dem â parte rei *Duplicatio*, eamq; rursus â parte agentis. *Triplicatio*, cui demum â reo objicitur *Quadruplicatio*, & sic deinceps multipicantur nomina, quorum multiplicationi ut tandem obvietur, certus quandoq; vel officio judicis, vel â partibus è compromisso imponitur modus, nempe ut duabus, vel tribus exhibitis deductionibus in causa concludant, daß sie mit zweyen/ oder dreyen Satzen zur Urtheil schließen sollen. *Auth. jubemus C. de Jud. Rosb. d. l. n. 3. & 4.*

(11) Cautionis præstatio tam Actoris,

§. 15. Quod si ab his nullam reus aut habuerit, aut proposuerit Exceptionem, proximus ad *Cautionem* hinc inde petendam aditus aperitur, exigit hinc *Reus* ab Actore *Cautionem pro expensis & reconventione*, sc. quod si fortasis fuerit reconventus, debito modo respondere, & si succumbat in causa, omne id, in quod fuerit condemnatus, damna itidem & expensas refundere velit, eamq; Actor aut *pignoribus*, aut *fidejussoribus*, aut *juratorie* præstare tenetur, *Rosb. dict. loc. tit. 45. n. 2.* P. H. G. O. *tit. de Caut. Jud. sist. & judic. solv.* nisi quod accuratè monetur, in Ihr Fürstl. Durchl. zu Mecklenburg Güstrowscher Seiten Cantzeley Ordnung *p. 2. tit. 15.* liquida obligationum instrumenta contra reum afferat, §. 2. vel in loco judicii bona immobilia possideat, *l. 15. qui satisd. cog.* eaq; libera habeat, non multo æri alieno obnoxia, P. H. G. O. *dict. tit. pr. ibi:* nicht übermäßig schüldig vel honestæ vitæ sit, aut dignitatis, P. H. G. O. *dict. tit. in fin.* deinde *Actor* â reo petit, *ut de judicio sisti, seu de lite prosequenda caveat*, §. 2. *Inst. de satisd:* id quod ille moribus nostris fidejussoribus, aut juratorie expedire cogitur, P. H. G. O. *dict. tit.* §. hinwiederumb. demum *Actoris Procurator* mandato destitutus

quàm Rei

& Procuratorum,

cavet

cavet de rato, *Harpr. d. l. th. 95. Rei Procurator* ex adverso, nisi cum principalis in mandato Procuratorio ab onere satisdationis liberavit, *de judicato solvendo*, utut etiam sub jurisdictione judicis bona immobilia sita habet, vid P. H. G. O. *dict. loc.* §. des Beklagten *Procurator.*

§. 16. Exactâ in hanc faciem & utrinque præstitâ cautione, reus conventus sæpè *Reconventionem* instituit, quam posthæc actor, modò vel *ante litem contestatam*, vel etiam *in continenti* proponatur, (aliàs enim simultaneo processu, ut par est, cum ipsa causa conventionis expediri nequit, *Rosb. d. l. tit. 46. n. 17.* admittere tenetur, ni ipse cum sua actione à limine judicii repelli velit. P. H. G. O. *tit. de Reconvent.* §. Auff solche *Reconv.* Nec refert, utrum hæc reconventio è principalis conventionis negotio originem trahat, nec ne, utrum aliquo modo ad ipsam conventionem spectet, an planè sit separata. P. H. G. O. *dict. loc princ.* Imò non refert, an reconveniendus Judicis jurisdictioni, coram quo reconvenitur, sit subjectus, nec ne, *l. 14. C. de Sent. & Interlocut.* P. H. G. O. *dict. loc. in fin. princ.* confer die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 3. tit. 20.* §. *1. & 2.* ubi tamen excipiuntur causæ fractæ pacis, violentæ ejectionis, depositi, alimentorum, dotis, Fiscales &c. §. *3.*

(12) Rei Reconventio, quæ vel ante litem contestatã, vel in contineti proponenda.

§. 17. His absolutis veluti judiciorum præparatoriis, ut loqvuntur *Dd. Illic. Umm. disp. 12. pr.* proximè ad ipsam *litis contestationem*, quæ est basis & fundamentum cujusvis judicii, *l. un. C. de lit. contest.* in tantum, ut ipsius omissio processum ipso jure nullum efficiat, *cap. un. X. de lit. contest. Carpz. d. l. tit. 10. pr. & art. 2. eod. tit.* §. *1.* instituitur progressus, *eaq; nihil aliud est, quàm congrua rei*

(13) Litis contestatio, quæ

vel Affirmativa, vel Negativa.

ad libellum actoris propositamq; in illo, vel intentatam actionem, sive affirmativa, sive negativa responsio. Rosb. dict. loc. tit. 49. n. 2. Carpz. d. l. tit. 10. art. 2 §. 1. princ. Nec est, quòd hic imitemur nauseantes hanc distinctionem, *Mejerum d. l. th. 161. Umm. d. Disp. 12. th. 1. n. 3. & Schotan. Exam. Jurid. p. m. 234.* siquidem ipsa rei evidentia & praxis fori ejus veritatem ostendit, aliam scil. esse *affirmativam*, aliam *negativam litis contestationem.* Videas interea *Rosb. d. l. tit. 49. n. 7. & 11. Carpz. d. l. tit. 10. pr. & art. 3. n. 29.*

§. 18. Post litem vel *affirmativè*, vel *negativè* contestatam. Per verba, in Gemüht und Meynung den Krieg Rechtens / mit Ja / oder Nein zu befestigen; quæ tamen formula non semper & præcisè necessaria, dummodò directè ad libellum actoris respondeatur, confer die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 19. §. 1.* Sequitur juxta ordinem judicii *juramenti calumniæ præstatio*, quæ tam ab actore, quàm reo, eorumve Procuratoribus super causa ut bonâ fide susceptâ; ita imposterùm prosequenda exigitur, *l. 2. pr. C. de jur. propt. cal. dand. c. 6. in fin. X. eod.* confer die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 16. §. 1.* sive *parte adversâ, arg. l. 5. §. 14. ff. de nov. op. nunc.* sive *ipso Judice, l. 2. §. 4. C. d. t.* tam ante, quàm post litem contestatam *id deferente*, Pom. H. G. O. *tit. de jur. calumn. & mal.* quorum *prius generale* est ad totam causam, *c. 1. & pen. X. de jur. cal. Nov. 49. c. 3. posterius speciale* in quavis judicii parte usque ad conclusionem, quandoque etiam post conclusionem causæ è mero judicis officio. *Rosb. pr. civ. tit. 50. n. 4.* Et hoc ut in omnibus causis civilibus, pariter ac criminalibus, maximè ab accusatore, à reo autem non adeò facilè exigitur; ita nemini litigantium remittitur, nisi fortè inter parentes

(14) Juramenti calumniæ præstatio

tàm ab Actore, quã Reo,

tes & liberos, nepotesve lis vertatur, quippe hi juramento de calumnia non onerantur, *l. 7. §. 3. ff. de Obseq. par. vel patr. præst.* junge die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *d. l. §. 2.* vel sint tales personæ, quas sexus verecundia, vel morbus impedit, quò minus in judicium veniant, hæ enim domi jurant adversario, vel procuratore ejus præsente, *l. 15. ff. de Jurejur. l. 2. §. 1. C. de Juram. propt. calumn.* junge die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *d. l. §. 10.* Nedum Procuratores eximuntur, utpote qui non tantùm in *animam* Domini, id quod frequenter contingit, *arg. c. fin. de jur. cal. in 6.* sed etiam *propriam* jurare tenentur, *Gail. 1. Obs. 88. n. 1.* excepto Procuratore Fisci, *Gail. 1. Obs. 90. n. 4.* & eo, qui ex officio datus est. *Rosb. tit. 50. n. 6.* Quod juramentum si quisquam horum detrectet, pœna jurare nolentis multatur, quam *Actor* in eo sustinet, quod, absoluto reo, cum actione suâ à judicio repellatur, refusis reo expensis; *Reus*, quod habeatur pro confesso & similiter actori in expensas condemnetur. *l. 2. §. 6. & 7. C. d. t.* P. H. G. O. *dict. tit.* §. Eussert sich der Kläger. Procuratores, quod à causæ patrocinio arceantur. Poln. Hoffg. Ordn. *dict. tit. pr.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. d. tit. §. 5.* eorumq; Procuratoribus.

§. 19. Jacto in hanc faciem per litis contestationem processus fundamento, proxima ad ipsam *probationem* via aperitur. Suevit autem vulgo ita institui probatio, ut primum actor ipsam litem quasi ponat, & ad singulares positiones reus respondeat, quo sc. è rei responsione colligat actor, quid fateatur, sibiq; restet probandum. (15) Probatio per positiones instituenda.

§. 20. *Positio* autem est *brevis narratio, ejus quod in controversiam deductum ad eliciendam veritatem, Rosb. d. tit. 51.* Harum descriptio.

Divisio reprobata.

n. 2. Hanc plerique distinguunt in *positionem* in specie sic dictam & *articulum*, ita ut *positio* sit, super qua ponens adversarium suum respondere petit, ad hunc effectum, ut per responsionem & confessionem partis adversæ ponens ab onere probandi relevetur, *Gail. 1. Obs. 79. n. 2. articulus* verò sit pars assertionis, quam quis probare intendit hoc fine, ut positiones â parte adversa negatæ per testes deinde atque instrumenta probentur, *Gail. d. l.* Verum ab hac distinctione communis fori usus recedit, eamq; camera præsertim Imperialis non adeò accuratè observat, sed, facta litis contestatione, præstitoq; juramento calumniæ, libellum articulatum loco positionum & articulorum admittit, ut, si positiones negentur, in locum articulorum succedant & ad probandum adhibeantur, *vid. Ord. Cam. p. 3. tit. 13.* §. dagegen *Mascard. de probat. concl. 1175. n. 2. Gail. 1. Obs. 73.*

Usus fori.

Requisita.

§. 21. His in positionibus id omnino requiritur ut (1) sint ad causam pertinentes & probatæ relevent, impertinentes enim neque responsionem merentur, nisi in dubio, cum hac clausula: *salvo jure impertinentium & non admittendorum*, neque â Judice admittuntur, imò in tantum nullæ sunt, ut super his receptæ testium depositiones, factæq; probationes nullius sint momenti, respondens etiam ad easdem pro confesso non habeatur, multo minus ipsi è sua responsione præjudicium nascatur, *Gail. d. l. Obs. 91. n. 12. Rosb. d. l. n. 31.* (2) Ut sint claræ & simplices, non obscuræ, captiosæ & contrariæ. (3) Positivè, non interrogativè formatæ, *Rosb. d. l. num. 26. Umm. d. l. disp. 13. th. 3.* (4) Ut sint de facto, non de jure conceptæ, jus enim certum

certum est, adeoq; probatione non indiget, *l. 2. ff. de jur. & fact. ign.* (5) Ut sub juramento dandorum exhibeantur, *Ord. Cam. p. 1. tit. 69. Umm. d. disp. 13. th. 9. n. 14.* adde die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ord. *p. 2. tit. 23. §. 1.*

§. 22. Positionibus ad hunc modum exhibitis, & à Judice admissis, occurrit sæpissimè reus suis *exceptionibus, sive defensionalibus, & articulis elisivis*, quos tamen omnes unà cum responsionibus suis ad allatas positiones offerre tenetur, quo ita, responsione tam ad positionales, quàm defensionales, utrinque data, Judex communem iis terminum constituat, cujus interjectu hinc inde ab utraque parte negata testimonialiter productis debitè probentur. Quodsi verò reus defensionales suos eò usque distulerit, donec testium depositiones super articulis actoris cognoverit, posthac ad probandum testibus suos defensionales non admittitur, *Ord. Cam. p. 3. t. 15. pr.* P. H. G. O. *tit. de Defens. & Except. peremt. pr.* Sin autem nulla defensione contra actoris positiones sit instructus, sub juris jurandi respondendorum religione, *se scil. absque ulla fraude ad omnes articulos, habita semper veritatis ratione, simpliciter, purè ac perspicuè per verbum credo, vel non credo intra terminum à Judice præfixum responsurum*, omninò respondere tenetur, *Ord. Cam. p. 1. tit. 71. & seq. & p. 3. tit. 15. §.* zum Andern Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 23. §. 1. Gail. 1. Obs. 82. n. 1.* Si etiam talis occurrit positio, quæ plura & diversa involvit, quæq; in uno vera, in altero falsa perspicitur, sub distinctione *quid credat, quid non credat*, respondere compellitur, *Ord. Cam. d. §.* zum Andern Pom. H. G. O. *d. t. §.* damit auch Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *dict. loc. Gail. d. l. n. 15.* imò ad omnes, quæ facti

(16) Oppositio Exceptionũ ex parte Rei contra positiones.

Ubi observandꝰ specialis procedendi modus.

facti sunt, exceptis tantum iis, quæ sunt juris, ad quas propterea respondere non obstringitur, quia his saltem respondendum, quæ probari debent, qualia sunt facti, non juris, utpote quæ per se certa & manifesta, *d. l. 2. ff. de juris & fact. ignor.* nisi forte jus ex ipso facto deducatur, vel super jure non scripto, seu consuetudine, vel statuto alterius civitatis respondendum sit, quod in judicium deduci & probari debet, *per l. 1. C. quæ sit long. consv. Rosb. d. l. tit. 52. n. 7.* Quod si tandem ad positiones quidem responderit, sed non perspicuè satis & sufficienter, permittitur ponenti contra hujusmodi responsionem excipere, ita tamen, ut nominatim & expressè responsionis defectum ostendat, & tum sine ulteriori replicatione Judex super hoc defectu inter loquatur, *Ord. Cam. d. l. tit. 15. §.* so auch P. H. G. O. *d. t. §.* wäre auch Sed si respondere jussus in certo termino non responderit, nec justam intermissæ responsionis causam afferre poterit, verum contumaciter responsionem detrectaverit, prævio monitorio ad instantiam actoris in pœnam contumaciæ positiones & articuli pro confessis habentur, adversus illum autem tanquam verè confessum ad definitivam sententiam proceditur, *c. 2. de confess. in 6. Ord. Cam. dict. tit. §.* begebe sich aber Pom. H. G. O. *dict. tit. in fin. adde Rosb. d. l. tit. 52. n. 21. & Gail. 1. Obs. 80. n. 1.*

(17) Rei confessio, quæ vel

§. 23. Post positiones sequitur *Confessio*, cum enim positio omnis hunc in finem proponatur, ut è responsione ei data patefiat, quid adversarius verum credat, quid non, adeòq; veniat probandum, certè hoc alio modo effici nequit, quam ut simul ac positionibus responsum, è vestigio confessionis ratio habeatur

tur & actor exactè observet, qua in parte reus respondendo ipsius intentionem jam fuerit confessus, in iis enim demum probatione eget, quæ reus vera non credidit, confessio autem facta intelligitur, quando major XXV. annis sanæ mentis nec ullo errore inductus in judicio, præsente adversario, sciens & spontaneo motu contra se super re litigiosa, ubi nec natura, nec jus, nec favor refragatur, aliquid asseverat, *Rosb. d. l. tit. 65.* Cujus confessionis præsertim *judicialis*, est enim alia quoq; *extrajudicialis*, *quæ præsentibus fide dignis hominibus extra locum judicii peragitur*, hic est effectus, quod actorem ab onere probandi relevet, quando ipsa confessione nulla est efficacior probatio *l. 2. C. de transs.* atque hinc probata probatio dicitur, eo quod habeat vim sententiæ, in tantum, ut post eam nullæ sint aliæ partes Judicis, quam ut condemnet, *l. 1. ff. de confess. c. 2. x. de confes. Rosb. dict. loc.* Judicialis vel extrajudicialis.

§. 24. Quòd si verò reus respondendo ad positiones actoris, ex his nullas planè, vel admodùm paucas sit confessus, ceteras q; omnes per verba: Glaube nicht wahr. rejecerit quasi, aut declinaverit, actor probationis onus subire cogitur, ne causa cadat, flebili hoc solamine dimissus: *Non tibi jus, sed probatio deficit, l. 30. ff. de testam. tutel.* Quare dum in hac cardo totius causæ hæret, siquidem est *legitima rei controversæ Judici facta ostensio, Wesemb. in parat. ff. de probat. n. 2. Rosb. d. l. tit. 53. n. 1.* omnino hic cum Advocato suo circumspectè agat, & quando alia est *artificialis*, quæ ex ipsa causa per solertiam Advocati invenitur. *Robert. lib. 4. Sent. c. 1.* alia *inartificialis*, quæ extrinsecus à testibus, tabulis, scripturis juramentis &c. desumitur. *Robert. d. l. Wes. d. l. 4. n.* (18) circumspecta Actoris probationum allegatio & declinatio.

n. 4. alia insuper *plena*, vel per duos, testes, vel instrumenta, vel confessionem adversarii judicialem jusjurandum, rei evidentiam & similia expedita, *Rosb. d. l. n.* 5. alia *semiplena* per unicum duntaxat testem omni exceptione majorem, vel privatum instrumentum, vel comparationem literarum, confessionem adversarii extrajudicialem, rationes, famam & similia judici fidem quidem, sed non tantam faciens, cui soli stare possit, *Rosb. d. l. n.* 6. dispiciat, quomodo commodissimè omnium intentionem judici manifestam & probabilem reddat, ita ut vel eandem plenè probet, vel quandoq; ad juramentum suppletorium admittatur. Imprimis verò attendat, quod etiamsi aliàs regulariter agenti & alleganti non neganti, adeòq; ipsi incumbat probatio, *l.* 2. *l.* 21. *ff. l.* 3. *C. de prob.* non tamen præter necessitatem hoc satis grave probationis onus in se derivet, aut derivari patiatur: Accidit enim sæpiùs, quod reus opponendo exceptionem, in illa ad sui defensionem aliquid alleget, in eoque fundamentū suæ intentionis contradicendo, vel negando collocet, & tum minimè *Actori* contrarium docere incumbit, sed *Rei* est exceptionis suæ fundamenta probare, quia excipiendo redditur Actor, *l.* 1. *ff. de Except. l.* 19. *ff. de probat. Mascard. de probat. vol.* 1. *q.* 17. *n.* 4. *& seq.* Licet *Actor* prius intentionem suam, quam *reus* exceptiones probare teneatur, *l.* 2. *C. de probat. Rosb. d. l. n.* 12.

(19.) Justus in his probationibus procedendi modus,

§. 25. Ut itaque de ordine procedendi in probationibus constet, Judex (1) terminum probatorium præfigit, cujus interjectu actor positiones à reo negatas probare debet, *Rosb. d. l. n.* 17. Et tum (2) vel *Instru-*

Instrumentis nititur actor, vel *testibus*: Si *Instrumentis*, hæc (3) producere tenetur, reo seu adversario ad recognoscendum, vel juratò diffitendum, vel etiam exceptiones suas opponendum à judice citato. Quando autem *illa* vel *publica* sunt, vel *privata*; *Publica, quæ manu Tabellionis, seu Notarii ad id specialiter requisiti, juxta præfinitum in jure modum, confecta, adeoq; Judici plenam fidem faciunt. Wes. in paratit. ff. de fid. inst. n. 6. Rosbach tit. 62. n. 3. Privata, quæ non publicâ autoritate munita, sed à quovis privato nomine confecta*, ut *Antipocha, Apocha, Libri Rationum, Registra, tam mercatorum, quàm opificum, Epistolæ &c.* hæc, prout iis instructus, & causæ qualitas requirit, omninò in termino probatorio unà cum articulis probatorialibus integra, ad probandam suam intentionem, producere tenetur, in tantum, ut aliàs à probatione excludatur, nisi fortè post terminum noviter fuerint reperta, & hoc producens juratò obtinuerit, aut in alterius sint potestate, nec, omni etiam adhibitâ diligentiâ, impetrari potuerint. P. H. G. O. *tit.* von Beschluß der Sachen. §. *ult.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *tit* von Brieffl. Uhrkunden. §. 1. *Carpz. Proc. Jur tit. 14 art. 1 §. 6. & 7.* Sicuti autem *Actoris* est instrumenta producere, ita *Rei* adversus illa excipere, scil. quòd sint (1) cancellata, inducta, rasa, aut alio modo vitiata: (2) Non subscripta, nec debito modo subsignata. (3) Simulata. (4) Falsa. (5) Ob neglectum formalium & substantialium requisitorum inidonea, puta, quòd testes non intervenerint, nec idoneus aliquis Notarius eadem confecerit, vel absolverit, multò minùs (6) causa debendi iisdem sit inserta, aut (7) de alio loquantur, quam qui iisdem utitur, vid. *Rosb. tit. 62. per tot.* Ultimò

Ubi Actor, si Instrumentis nitatur, hæc sive publica, sive privata, (1) producit.

(2) Reus contra illa excipit.

observes, non omnia instrumenta eandem inferre efficaciam, quippe (1) privata scriptura, & liber rationum nil probant, dum sunt privatæ annotationes, nisi debitor has scripturas propria manu subscripserit, vide, si lubet, die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *tit.* 27. (2) Libri mercatorum, ritè tamen conscripti, in causis & rebus mercatoriis semiplenè probant; plenissimè autem (3) Acta publica judicialia, Magistratuum attestata, Scripturæ ex Archivis productæ, Calendarium Ecclesiasticum, das Kirchen-Buch / Instrumentum à Notario fide digno legitimè confectum. Quibus addas (4) è nostrorum judiciorum moribus, instrumentum super negotio, præsentibus duobus testibus integræ famæ & vitæ, celebrato confectum, utpote quod, exceptâ causâ testamenti, plenam judici fidem facit, adeò ut absolvere partem alteram queat, alteram condemnare. P. H. G. O. *tit.* von Beweisung. §. und erstlich. Quæ omnia instrumenta, si reus sæpè, & quidem peremtoriè ad hoc citatus non recognoverit, nec comparere voluerit, in contumaciam debitè producta pro recognitis habentur, h. m. werden die producirte documenta hiemit in contumaciam pro recognitis gehalten und angenommen.

(3) Si Actor per testes agit, Articulos Reo ad formandum Interrogatoria transmittit

§. 26. Quod si instrumenta deficiunt, & actor intentionem suam testibus est probaturus, è vestigio post designatum terminum probatorium, *Articulos*, per vocabulum Germanicum wahr instituendos, super quibus deinceps examinandos sistit testes, reo ad formandum, si lubet, *Interrogatoria* cum denominatione testium & directorio transmittere obstringitur: nisi enim intra terminum hoc præstiterit, nec impedimentum

tum legitimum allegaverit, à probatione excluditur, nec imposterùm auditur. Cùm verò reum oporteat, ad sui defensionem offerre *Interrogatoria, quæ nihil aliud sunt, quàm positiones interrogativè formatæ super negotii circumstantiis & testibus contra se productis, ad eruendam veritatem: c. præsentium. §. testes de testib. in 6.* eaq; vel sint *Generalia*, gemeine Fragstücke / quæ *testium personas, earumque integritatem potissimum respiciunt*, de quibus videas *ordinat: S. Tr. Wism. R. p. 2. tit. 20. §. 2.* vel *specialia*, sondere Fragstücke auff die Hauptsach / quæ scil. *ipsas præsentis controversiæ circumstantias concernunt*, hic reus ejusque Advocatus circumspectè agat, omnesq; causæ principalis circumstantias probè examinet, ac dispiciat, ne super iis Interrogatoria proponat, quæ probata magis clienti suo obsint, quàm prosint, *Rosb. d. l. tit. 55. n. 9.* multò minùs copiam eorum parti adversæ edat, ne, iisdem lectis, testes, quomodo desuper deponere debeant, instruantur, sicuti propterea nec judici fas est, interrogatoria adversæ parti communicare. *Gail. 1. Obs. 95. n. 6. Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 6.* Inprimis autem caveat, ne sint superflua, ad causam impertinentia, peregrina, captiosa, criminosa, juris & aliis è capitibus reproba, hæc enim in totum rejiciuntur, vid. die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 24. §. 5.* & Advocati una cum partibus in unius floreni mulctam condemnantur juxta *Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 5.* Etsi verò conducit reo Interrogatoria offerre, ita tamen ipsi quoque liberum est, illa omittere, nec processus ex hoc vitiatur, sicuti nec totum examen redditur nullum, si judex testes interrogare omiserit, quin tantùm testes, post publicationem attestationum, super inter-

(4) Reus ad sui defensionem interrogatoria offert

quæ vel Generalia,

vel Specialia.

Cautela pro Reo & Advocato.

rogatoriis sunt repetendi. *Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 7. Gail. d. l. n. 7. Rosb. d. l. n. 2.* Imò Judici & Commissario permittitur, sicubi opus viderit, pro industria sua & legalitate ea quandoque addere, quandoque oblata examinare & ex his superflua atque impertinentia rejicere. P. H. G. O. *tit.* von *Commissarien.* §. da auch das Gegentheil. *Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 5. in fin. Gail d. l. n. 1.*

§. 27. Productis coram Judice, aut Commissario Articulis probatorialibus, iisq; jam antè reo communicatis, certus posthæc examini terminus statuitur, ad quem adversarius unà cum testibus legitimè citatur. *Gail. lib. 1. Obs. 102. pr.* Reus interrogatoria exhibet, & super his quoque testes examinari petit. Abhinc testes, priùs, quàm deponant, (1) Jurisjurandi religione in præsentia partium obstringuntur, scilicet quòd in nullius gratiam, nec odium, sub spe lucri, aut commodi, veritatem celare, sed solo veritatis studio omnia, quæ ipsis nota fuerint, & super quibus interrogabuntur, bonâ fide profiteri velint. *Ord. Cam. part. 1. tit. 77. Ord. S. Tr. R. Wism. tit. 19. §. 10. sub fin.* P. H. G. O. *d. l.* Manifesti enim juris est, quòd testi injurato, ut ut aliàs magnæ dignitatis, ne Clerico quidem fides habeatur: *l. 9. C. de test. c. 17. & 50. extra eod.* quando omnium testimoniorum vis è testium jurejurando dependet, nisi fortè utriusque partis consensu illud sit remissum, tum enim & injurati testes fidem merentur, *c. 39. extra de testibus. Carpz. d. l. t. 13. art. 4. §. 10.* quamvis tamen Judex, non attentâ hac remissione, justâ causâ commotus, nihilominus testes ad juramentum testium cogere potest. *Gail. 1. Obs. 101. Rosb. d. l. tit. 57. n. 5.* (2) Præstito juramento uterque litigantium discedit, interim

(5) Examini termino statuitur.

(6) Testes jurant.

interim Judici, vel Commissario, testium examinationem juxta tenorem commissorii propriamq; sic dictam legalitatem, committit. His discedentibus, quilibet testis denuò seorsim accersitur, ac de præstito juramento, sed vitando perjurio admonitus, *c. 8. c. 11. q. 3. c. 1. X. de crim. falsi.* super quovis articulo & ad hunc directis Interrogatoriis sigilatim interrogatur. P. H. G. O. *d. tit.* von *Commiß.* §. Wann solches geschehen. (3) Inter examinandum, Judex, vel Commissarius, testem seorsim vocatum, accurate habita vultus, gestuum & sermonis ratione, perspicuis verbis interrogare, causam scientiæ requirere, ejusq; depositionis non sententiam modò, verùm etiam, quoad fieri potest, ipsissima verba observare, eaq;, ut Notarius consignet, curare tenetur. P. H. G. O. *dict.* §. *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 20.* §. *8.* junge die F. G. C. O. *p. 2. tit. 24.* §. *10.* (4) Singulis testibus ita examinatis silentiū sub pœna præstiti juramenti injungitur, ne ante publicationē eorum dicta divulgentur, quod si neglexerint, arbitrariè puniuntur, *c. si testes* §. *qui falso, vel vario 4. q. 3. Rosb. d. tit. 58. n. 24.* (5) Testium depositiones à Notario, quoad possibile, statim in loco judicii extenduntur, describuntur, & prout habet phrasis forensis, in rotulum certum rediguntur, quo commissarii adhuc præsentes eundem perlegere, obsignare & ad Judicem committentem transmittere queant. P. H. G. O. *d. tit.* §. wann die Kundschafft / Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *d. p. 2. tit. 24.* §. *11. Vultei lib. 2. J. R. c. 31. n. 7.* (6) Si testes nominati extra territorium Judicis subsistant, commissis prius adversario articulis, eoq; à Judice ad dandum interrogatoria peremptoriè citato, decernuntur postea *literæ mutui*

(7) Debitè tam super Articulis, quàm Interrogatoriis examinantur.

(8) Iisdem silentium imponitur.

(9) Extenduntur Testium depositiones.

mutui compassus ad magistratum loci, cui testes nominati subsunt, isq; rogatur, ut hos sumtibus producentis ad indagandum veritatem examinet, *l. 11. C. de testib.* eorum dicta fideliter consignari curet, & tandem obsignatum examinis rotulum, ad producentis Judicem transmittat, P. H. G. O. *tit.* von Verhörung Außländischer Zeugen. *Vultej. d. l. c. 31. n. 8. Ord. S. Tr. R. Wism. tit. 24.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 25.* (7) Quotiescunq; periculum est, ne per mortem, vel diuturnam testis peregrè abeuntis absentiam, aliamve ob causam, puta imminentem contagionem, probationum copiæ nobis, vel successoribus nostris subtrahantur, testium examen etiam ante litem contestatam, quod regulariter secus est, *Rosb. d. l. tit. 59. pr. Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit 27. pr. & §. 3.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 26. §. 2.* in hanc faciem instituitur. Citatur scil. pars adversa, sive actor, sive reus, quippe uterq; horum diverso tamen modo, *Actor* ob mortis, vel diuturnæ absentiæ suspicionem, *Reus* indistinctè, dum in illius potestate non est, quando conveniatur, hujusmodi testes producere valet, *Rosb. d. l. n. 4. Carpz. d. l. tit. 13. art. 7 §. 4. Notab. 2. & §. 5.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 26.* ad videndum jurare testes in perpetuam rei memoriam, & dandum interrogatoria, P. H. G. O. *tit.* von Zeugniß zu ewiger Gedächtniß *pr. Ord. S. Tr. R. Wism. tit. 27. §. 2. Gail. 1. Obs. 94. n. 4. & seq:* Deinde attestationes, seu dicta testium, usque dum in judicio obsignata & non publicata asservantur, donec de causa judicium fuerit cœptum & lis contestata. *Gail. d. l. n. 5.* P. H. G. O. *d. l. Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 6.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *d. l. §. 1.* Demum, si Actor

(10) Examinantur quandoq; testes ad perpetuam rei memoriam.

Ubi diversa est causa in Actore & Reo.

post

post finitum examen, intentatam suam actionem non instituat intra annum, a tempore, quo agere potuit, vel dilationem à Judice impetravit, universa attestationum vis infirmatur, eò quod fraudulenter egisse, præsumatur, scil. ut reum temporis lapsu à legitimis suis exceptionibus contra personas & dicta testium, excluderet. P. H. E. O. *d. t. §. ult. Ord. S. Tr. R. Wism. §. 4.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *dict. l. §. 4.*

§. 28. Examen sic ritè & legaliter expeditum excipit ad instantiam partis *publicatio attestationum*, earumq; copia partibus decernitur, ut probationes suas atque defensiones hinc inde deducere queant, *Rosb. dict. l. tit. 60. princ:* Sed ante publicationem omninò citanda est pars adversa, contra quam testes producti sunt, utpote quæ vel ante publicationem, vel in ipso publicationis actu, de quibuscunq; legum beneficiis protestatur, sibiq; jus excipiendi contra personas & dicta testium reservare suevit. *Rosb. d. l. n. 3.* quam tamen protestationem, nisi vel ante examen, vel ante publicationem interposuerit, postea non auditur, P. H. G. O. *tit.* von Einrede wider die geführte Kundsch. §. wo das Part. Publicationis verò hujus iste præcipuus refertur effectus, quod, eâ semel factâ, nequeant regulariter testes iterum, vel amplius produci, aut examinari ob metum subornationis &c. *c. fraternitatis de test. & Clem. fin. eod.* nisi articuli à prioribus sint diversi, aut productio & examinatio testium illegitimè facta, vel dolo, aut negligentiâ Examinatorum, testes nec super omnibus articulis, nec omnibus interrogatoriis examinati, vel etiam ipsi testes obscurè nimis & perplexè testimonium dixerint, adeoq; iteratio examinis ob id requi-

(20) His ita peractis Publicatio Attestationum,

cujus effectus est, quòd testes ultrà examinari nequeant,

requiratur, ut dicta sua plenius declarent & negotium magis perspicuum efficiatur, *arg. l. 21. ff. de interr. in jur. fac. Rosb. d. tit. n. 10.* demùm planè novus afferatur articulus è veteri dependens &c. vid. *Rosb. d. l. tit. 60. n. 6. 7. 8. 9. & seqq.* junge die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 31.*

§. 29. Post Publicationem Attestationum, etsi abbreviandæ liti conducibilius videatur, statim eas judicis cognitioni subjicere, nihilosecius tamen ex observantia fori admittuntur *testium, & articulorum disceptationes*, tam in processu ordinario, quàm summario, imò etiam criminali, *Carpz. d. l. tit. 15. art. 1. §. 2. & 3.* ita ut *Actor* intentionem suam ex dictis testium comprobet, *Reus* tam contra personas, quàm dicta testium, nec non formam examinis excipiat. *Gail. 1. Obs. 105. n. 17.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 30. §. 2.* Et hinc objicitur contra *personas testium*, quòd sint *amici, domestici, consanguinei, affines ejus pro quo tulerunt testimonium, seu inimici illius, contra quem*, deinde quòd sint *perjuri, infames, pauperes, viles, criminosi & in notorio delicto hærentes, falsarii, corrupti, similemq; habentes causam, vel tandem ex alio capite suspecti:* Contra *dicta testium* opponitur, quòd *sibimetipsis, vel ceterorum testium dictis contraria, item varia, obscura, ambigua, dubia, incerta, præmeditata & composita, falsa, non verisimilia, non congruentia cum facto, aut natura rei, extra articulos & interrogatoria, absque idonea scientiæ causa, vel ratione prolata &c.* contra *formam* verò *examinis*, quòd *testes non rogati sint, non citati, quòd non juratò deposuerint, neque secretè, nec sigillatim, quòd non diligenter examinati, tam ad omnes articulos, quàm interrogata, multò minus adversa parte citata*, vel etiam quòd post publicationem interrogati, aut examinati. *Rosb. tit. 61. n. 18.*

(21) Testium & Articulorũ Disceptatio.

ubi proponuntur Exceptiones contra personas & Dicta testium, tùm Formam Examinis.

§. 30.

§. 30. Quando autem nonnunquam contingit, ut nec *instrumenta* habeat *Actor*, nec *testes*, quibus intentionem suam comprobet, ad *præsumtionem* sæpè provocat & *jusjurandum*: *Præsumtio* nihil aliud est, *quàm conjectura à lege, vel homine, è personarum, facti & rerum circumstantiis desumta*, adeòq; etiam duplex est, *legis* & *hominis*, de qua divisione ceterisq; ejus effectibus consulas *Rosb. d. l. tit. 64. n. 2. & multis seqq. Jusjurandum* est *religiosa intentionis nostræ pro animi conscientia asseveratio, quâ DEUM immortalem tum Judicem, tum testem ad firmandam nostram fidem invocamus, Rosb. d. l. tit. 65. n. 1.* adde *Hahn. in Not. ad Wesemb. tit. de jurejur. n. 2.* Interponitur autem hoc aut finiendæ, aut æstimandæ litis caussâ. *l. 1. ff. de jurejur. l. 1. ff. de in lit. jur.* *Id*, quod ad finiendas lites spectat, aut *Voluntarium* est, aut *Judiciale*, aut *Necessarium. Rubr. ff. de Jurejur. sive voluntar. Voluntarium* est, *quod prout è mera voluntate partium dependet, ita extra judicium à parte parti è conventione & voluntate defertur, sponteq; suscipitur, l. 1. l. 17. ff. de jurejur.* licet semel susceptum omninò veniat præstandum, nec deferenti referri queat, *d. l. 17. ff. de jurejur. Judiciale, quod, licet itidem voluntate partium fiat, in Judicio tamen pars parti defert, judice approbante, l. 12. §. 1. C. de R. C. l. 25. l. 26. § fin. ff. de jurejur. Cujac. in paratit. eod. Hahn. dict. loc. n. 2.* & hoc semel delatum acceptumq; referri nequit, licet, dum defertur, deferenti referri possit. *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 34 pr. & §. 2. Necessarium, quod Judex alteri partium ob inopiam probationis defert, l. 31. ff. de jurejur. ibiq; Beust. l. 3. C. de R. C.* estq; vel *Suppletorium*, quod utplurimum actori semiplenè probanti per testem unicum omni exceptione majorem defertur, & *Purgatorium*, quod reo imponitur, cùm actor minùs,

(22) Provocatio ad præsumtiones & Jusjurandum, quod

vel Voluntarium,

vel Judiciale,

vel Necessariũ

Idq; vel Suppletorium, vel Purgatorium,

minùs, quàm semiplenè probavit, aut ille contra actorem, vel aliàs quisquam suspicionibus est gravatus, *Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 8.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 29. §. 2. Hahn. dict. l. n. 10.* Quod verò ad litis æstimationem pertinet, proprio suo nomine dicitur

vel in litē. *Jusjurandum in litem, quo, mediante obtestatione divinâ, rem in judicium deductam, sed dolo & contumaciâ adversarii non præstitam, ejusve culpâ extinctam, vel etiam interesse nostrum æstimamus, idque ab adversario præstari petimus l. 1. cum 4. seq. ff. de in lit. Jur. Rosbach. d. l. tit. 68. n. 1.* dividitur vulgò ab

Idq; rursū vel Affectionis, vel Veritatis. interpretibus in *affectionis* & *veritatis*. *Illud* est, *quo actori è delatione Judicis rei suæ ex dolo non restituta æstimatio pro arbitrio & affectione sua, quæ aliàs in æstimationem non venit, l. 23. ff. ad L. Aquil. etiam ultra verum rei pretium permittitur, l. 1. l. 2. & 8. ff. de in lit. jur. l. 68. de R. V. l. 54. Mand. Hoc, quo citra affectionem res, quanti revera est & valet, æstimatur, l. 2. §. 1. de in lit. jur. Hahn. d. l. tit. de in lit. jur. N. 1.* adde *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 34. §. 10.* ubi quoad juramentum affectionis adhuc exigitur, quod eodem usurus prius aliqua ratione manifestum facere debeat, tanti rem, vel partem ex æquo æstimari, quanti ab ipso æstimata. De cætero enarratæ hæ species non tam directò rem probant, quàm ab onere probandi relevant, *Mascard. de probat. quæst. 4. n. 13. & Rosb. d. loc. tit. 64. n. 1. junge, si lubet,* dit Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 32.*

(23) Conclusio in causa, quæ vel utriusque partis submissione, vel Judice eandē ex officio imperante, peragitur. §. 31. Probationibus sic ritè institutis, atque Advocatorum scriptis tam confirmatoriis, quàm refutatoriis plenè discussis, tandem in *causa concluditur*, vel *utraque parte submittente*, vel *Judice* cernente partium litigandi æstum ad protrahendum litem, *iisdem ex officio conclusionem, datâ sufficienti dilatione, imperante, vel causam in con-*

in contumaciam non concludentis pro concluſa accipiente, Nov. 115. c. 2. Gail. 1. Obſ. 107. n. 10. P. H. G. O. von Beſchluß der Sachen. *princ. Ord. S. R. Tr. Wiſm. tit. 36. ibi:* Dargegen aber können wir nicht verſtatten/daß die Partheyen nach ihrem Gefallen unaufhörlich verfahren &c. & paulò poſt: Oder doch Ampts halber die Acta vor beſchloſſen angenommen werden ſollen &c. niſi enim prius ſit in cauſa concluſum, wann nicht geſchloſſen iſt/ judex ſententiam ferre nequit, adeò, ut ſi aliquam ferat, ea ſit ipſo jure nulla, quandoquidem impoſſibile, ut Judex pronunciare poſſit, quis condemnandus, quis abſolvendus, niſi omnia jura & exceptiones litigantium cognoverit, cognoviſſe autem non videtur, niſi dicant, ſe nolle, amplius quicquam adducere, vel allegare, id quod hic eſt *concludere*, ſeu, ut praxis fori loquitur, *ſubmittere*. Concluſum itaque in cauſa dicitur, quando poſt litem conteſtatam, deductis probationibus, exceptionibus, replicationibus, duplicationibus &c. litigantes utrinque omni ulteriori allegationi juris & facti renunciarunt, totamq; controverſiam judici definiendam ſubmiſerunt. *Rosb. tit. 70. n. 1.* Atque hæc renunciatio ad Acta referenda eſt, quia nunquam præſumitur in cauſa concluſum, niſi ex actis appareat, *c. 11. X. de prob.* Eſt autem *concluſio* alia *expreſſa*, cum diſertis verbis, alia *tacita*, cum nulla interpoſita proteſtatione de deducendo amplius jure ſuo, cauſa ſimpliciter ad ſententiam refertur. *Rosbach. d. l.* Deinde alia *pura*, quando ſimpliciter & abſolutè in cauſa concluditur, alia *eventualis*, quando cum conditione, proteſtatione & reſervatione cum clauſula: *Niſi quid novi*, da Newerung befunden. *Ord. S. R. Wiſm. p. 2. tit. 36. §. 3. Effectus concluſionis*

Eſtq; duplex: Expreſſa & — Eventualis

est, quod post illam nulla ulterior admittatur exceptio, vel allegatio, informatio, vel probatio, nisi evidens aliqua ratio judicem moveat, vel sit causa criminalis, aut matrimonialis, item si probatio fiat per confessionem partis, vel rei evidentiam, aut post causæ conclusionem demum emergat, nec anteà in notitiam partis venerit, *Rosh. d. l. tit. 70. n. 12. 13. & seqq.* id quod moribus nostrorum Judiciorum jurato prius ostendere tenetur. P. H. G. O. *tit.* von Beschluß der Sachen. §. *ult. Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 4.* Fürstl. Güstr. Landl. Ordn. *p. 2. tit. 33. §. 8. in fin.* Quod si partes, vel una ex iis non concluserit, nec concludere voluerit, vel ex officio judicis nobili causa pro conclusa accipitur: Wird die Sache für beschlossen angenommen/oder gehalten/ P. H. G. O. *d. tit. princ.* vel, si ipse judex eam pro conclusa accipere nolit, partibus conclusio injungitur: Daß sie in der Hauptsach schliessen sollen/cum præjudicio, daß sonst die Sache in contumaciam soll für beschlossen angenommen werden. Quo tamen facto in ipsa adhuc conclusione, minus post conclusionem informationes Jurisperitorum exhibere integrum est. P. H. G. O. *d. l.* §. Nach beschehenem Beschluß. *& Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 6.*

Quoad Judicem

§. 32. De cetero quoad *Judicem* nunquam intelligitur in causâ fuisse conclusum, ita ut illam rescindere, vel, pro rei necessitate, ulteriorem adhuc probationem requirere, eamq; injungere omninò permittatur, vid. *Gail. 1. Obs. 107. n. 5.* Multò minus quoad *Tertium*, quem causa ab aliis in judicium deducta vel principaliter, vel in consequentiam tangit, utpote qui pro suo interesse ad causam, altero etiam invito, in quacunque judicii

tum Tertium intervenientem in causa regulariter nunquam concluditur.

dicii parte tam ante, quàm post litem contestatam, quocunque litis tempore audiendus, *Rosbach. tit. 47. n. 5. Carpz. Proc. Jur. tit. 4. art. 2. §. 2. n. 17.* in tantum, ut etiam in ipso executionis actu, multò magis tam ante, quàm post sententiam latam, sive in prima, sive secundâ instantiâ, admittatur. *Gail. 1. Obs. 70. n. 15. Carpz. d. l. §. 3.* Ubi tamen necesse, ut non modò ipsius intervenientis persona, habilis sit & capax judicii, *Rosb. d. l. n. 5.* verùm etiam, antequam audiatur, de jure suo & interesse summariè prius, sive per testem unicum, sive juramentum, sive etiam instrumentum, sive aliàs præsumtivè docuerit, *Carpz. d. l. §. 4. n. 42. Rosb. d. l. n. 14.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 21. §. 1.* tum etiam probaverit, jus suum ac interesse à principalis jure non esse alienum, *Gail. 1. Obs. 69.* ne sub hoc prætextu malitiosè lis protrahatur, vel executio impediatur. *Gail. 1. Obs. 70. n. 20. Carpz. d. l. §. 4. Mev. p. 2. d. 181.* Tenetur autem, quod observes, interveniens, si pro suo interesse accessoriè, seu assistenter cum principali rem controversam egerit, judicium in eo statu ac termino, in quo versatur, subire, *Rosb. d. l. n. 16.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 21. §. 3.* & ideò libello per principalem exhibito, litecq; contestatâ tertius libellum novum edere & litem desuper contestari minimè obstrictus, quin potiùs articulos interventionales super jure suo tantum exhibet, atque, nondum publicatis attestationibus, novos testes producit. *Gail. 1. Obs. 69. & Obs. 71. n. 11.* Quod secus est publicatis jam attestationibus, & quidem si sciverit litem motam, tum etiam post causæ conclusionem, ubi priori casu nunquam novos testes, sed posteriori, ne instrumenta quidem pro-

cujus occasione venit quandoq; (24) Intervention.

ejus Requisita.

& modus procedendi

producere licitum, vid. *Rosb. d. l. n. 19.* nisi eo casu, quo etiam parti principali id permissum, vel super novis articulis testes producuntur. *Rosb. d. l. n. 18.* junge die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *dict. l. §. 2.* Quod si verò principaliter pro suo interesse ad causam intervenerit, removendo, aut contradicendo, non assistendo alteri, removere, ac impedire agentem, aut defendentem seq; ad judicem suum remitti petere potest, *Mynsi. cent. 5. O. 14. Mev. p. 4. dec. 185.* nisi hanc ipsam causam jam ante ab alio in judicium deductam, ibiq; agitatam sciverit, nec contradixerit, aut protestatus fuerit, tum enim sibi præjudicat & jus interventionis perdit, *Rosb. d. l. num. 9.* vel nisi lis totaliter sit finita, *Carpz. d. l. §. 2.* aut intervenientis intentio à jure litigantium planè aliena, tum enim ad separatum processum pertinet. *Gail. 1. Obs. 70. n. 24. Mev. p. 5. dec. 307.*

(25) Sententiæ conceptio, vel ab ipso Judice, vel Collegio JCtorum instituenda

§. 33. Posteaquam hac ratione in causa conclusum, nec interventio litem ulterius protrahit, nil restat, præterquam ut partes & judex dispiciant, an ab ipso judice ferenda sit sententia, an Acta ad Collegium aliquod JCtorum transmitti debeant, si *partes* petunt transmissionem, ipsis haud facilè deneganda: Si *Judex ipse* nolit sententiam ferre, eò quòd causa vel captum superet, vel ipse laborem defugiat, vel suspicionem devitare studeat, partes illum ad sententiam ferendam cogere nequeunt: Et tum transmissio ex officio decernitur, quo casu partes sumtus æqualiter suppeditare tenentur; Si autem ambæ partes simul petant, eadem ratione sumtus simul contribuunt. Si verò una tantùm, vel consentiente, vel dissentiente altera, priori casu rursum simul sumtus ferre coguntur.

tur, posteriori è stricto jure pars petens tantùm, vid. die Fürstl. Eüstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 34. §. 2.* Transmissione sic vel a partibus requisita, vel à judice indictâ, ad *Rotulationem Actorum* partes sub præjudicio citantur, si non comparent, Acta in contumaciam transmittuntur, si comparent, Acta (1) perlustrant, an integra sint, nec ne. (2) Sportulas offerunt. (3) Contra JCtorum Collegia excipiunt, si velint, quæ exceptio in ordinatione Cancellariæ Gustrovienſis optimè ad evitandum omnem abusum, & prolixiores sumtus, ad duas tantùm Academias restricta, per *tit. 34. §. 2.* remissivè ad *Edictum* von *Eximirung der Academien.* (4) Si integra deprehenduntur Acta, præsente utraque parte à Secretario judicii rotulantur, ejusdemq; judicii sigillo obsignantur. (5) Ab Actuario, seu Secretario, ad tollendam omnem suspicionem & corruptionem, extra portam sæpissimè Tabellario traduntur.

§. 34. Sententia vel ab ipso Judice vel peregrino collegio lata, *quæ nihil aliud est, quam controversiæ inter partes agitatæ secundum Acta & Probata definitio absolutionem, vel condemnationem involvens, Rosb. d. l. tit. 71. n. 1.* aut *definitiva* est, quæ *principalem controversiam terminat*, aut *Interlocutoria*, quæ *super incidenti Articulo fertur*, arg. *tit. Cod. de Sent. & Interloc. Rosb. d. tit. 71. n. 3.* Hæc iterum vel *simplex*, vel *mixta*, Illa in finibus nudæ Interlocutoriæ consistit. Hæc vim definitivæ obtinet, licet non directè ac principaliter, sed per consequentiam principale negotium finiat, atque hæc non tantum quoad formam & effectum interponendæ appellationis, verum etiam quoad alios juris effectus veræ definitivæ comparatur. *Gail. 1. Obs. 130. n. 5. Rosb. d. l. n. 4. Ord. S. Tr. R. Wism.*

Quæ aut Definitiva est, aut Interlocutoria.

Hæc iterũ vel simplex vel mixta.

R. Wism. p. 2. tit. 1. §. 11. Utraque ferenda de rebus in judicium deductis, & ad judicis jurisdictionem spectantibus, lite super his debitè contestatâ, totâq; causa & ejus probationibus plenè cognitis, adeoq; conformis debet esse libello, *Schurff. Cent. 2. cons. 12. n. 3.* & continere vel absolutionem, vel condemnationem, juri non minus tam scripto, quàm consuetudinario, prout mos regionis exigit, conformis, ne ipso jure nulla habeatur, *l. 19. ff. de appell. & relat.* & tandem inscriptis, tempore, locoq; convenienti, partibus ad publicationem citatis, pronuncianda. Illa à Collegio JCtorum concepta hoc peculiare habet, quod, antequam publicetur, sigilla partibus ostendi, &, an integra sint, ab iis recognosci debeant, aliàs enim de nullitate conqueri possunt, vid. die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 34. §. 3.* *Finis* denique & *Effectus* pro diversitate speciei est diversus, *Interlocutoria* eò tendit, ut rectius, tutiusq; in causa principali procedatur, *Definitiva*, ut per eandem universa lis finiatur, quod accidit, si transeat in rem judicatam, ubi terminus fatalis est lapsus decem dierum. *Nov. 23. c. 1. & 119. c. 5.*

Utriusque publicatio, partib9 ad eandem citatis.

Finis utriusque & Effectus.

§. 35. Latâ publicatâq; sententiâ, illa aut *ipso jure nulla* deprehenditur, contra legem sc. & constitutiones pronunciata, & nunquam transit in rem judicatam, *l. 2. C. quand. prov. non est necess.* aut saltem *iniqua* est, *adversus jus partis lata*, & hæc, ne transeat in rem judicatam, daß sie nicht Krafft Rechtens erlange / vel apud ipsum judicem in eadem instantia impugnanda est, vel apud superiorem in diversa; si apud eundem usitatiora hìc loci sunt remedia: *Deductionis Nullitatum*, *Restitutionis in integrum* & *Revisionis*, in foro Saxonico etiam leute-

Post sententiam latam sæpè à parte gravata eadem impugnatur, vel in eadē Instantiâ per Remedium Deductionis Nullitatū.

Leuterationis & Oberleuterationis. Nullitatis actio competit, quando Judex incompetens, corruptus, recusatus, incapax, aliove modo prohibitus, vel etiam delegatus extra causam delegatam, aut ultra testimonium delegationi præfinitum, tulit sententiam, vel eadem lata est super non petito, aut substantialia non sunt observata, puta, citatio, litis contestatio, probatio &c. aut lata inter eos, qui non habent personam standi in judicio, vel requisitæ ad sententiam solennitates sint neglectæ, puta, quod nec debito modo, Judice, scil. sedente pro tribunali, nec debito tempore, puta, in feriis & post finitam jurisdictionem, nedum etiam convenienti loco, puta, extra territorium lata, vel aliàs sit obscura, dubia, vel lata è causa notoriè falsa, vel ad instantiam falsi Procuratoris. *Rosbach. tit. 72. n. 11. Carpz. Proc. Jur. tit. 19. §. 1.* Instituenda autem est ex *Ordinatione S. Tr. R. Wism. p. 3. tit. 5.* und der P. H. G. O. *tit.* von Anfechtung der Urthel Nichtigkeit halber. tum *Ord. Cancellariæ Gustrovienf. p. 2. tit. 36.* intra 6. septimanas, &, cùm commune quoddam sit auxilium, nemini denegandæ, adeò, ut etiam tertius ratione sui interesse de nullitate excipere possit, quando autem admittenda, sit, quando non, Judici Acta monstrabunt, utpote è quibus nullitates probari debent, P. H. G. O. *dict. tit. §. ult.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *dict. tit.* quas si alicujus momenti deprehenderit, earum deductionem recipiat, si altioris indaginis, dubias sc. leves, parumve relevantes, executioni potiùs latæ semel sententiæ faveat, nisi deducens juratò evicerit, quòd non calumniosè & protelandæ litis causâ hoc remedium suspensivum apprehenderit. Posn. Hoffg. Ordn. *dict. tit.*

§. wo aber. *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 3. tit. 5. §. 4.* *Remedium Restitutionis in integrum*, quod generatim rectè dicitur redintegrandæ rei, vel causæ actio, *l. 3. l. 5. ff. de Rest. in integr.* tum rectè *majoribus 25. annis* adversus sententiam in contrarium latam tribuitur, quando causam restitutionis & inde emergentem læsionem luculenter demonstrarunt, sed *Minoribus* & *Universitati* è vestigio, ubi saltim quale quale Judex summarium instituerit scrutinium super causa restitutionis, eamq; justam fuerit arbitratus, nullo arbitrario probationis onere iisdem imposito. *Carpz. Proc. Jur. tit. 19. art. 1. §. 3. & art. 2. §. 1.* Processus verò & suspensio executionis æqualiter se habet, ut in deductione nullitatum, vid. P. H. G. O. *tit.* von Wiedereinsetzung in vorigen Stand. *& Ord. S. Tr. R. Wism. p. 3. tit. 6. §. 4.* junge, si lubet, die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 37.* *Revisio*, quam describere licet *Remedium extraordinarium, quo mediante Acta priora denuò cum prolatis gravaminibus examinantur, ut ex illis de his judicetur, arg. eorum, quæ habet Benderus de Revision. concl. 1. p. m. 9. & concl. 16. n. 11. p. 248.* in *sententiis* tantum obtinet *definitivis*, & *interlocutoriis mixtis, Gail. 1. Obs. 155. n. 15.* non *purè interlocutoriis, Gail. d. l. eod. n. 5. & Carpz. d. l. tit. 17. art. 5. n. 35. & 43.* de forma & modo procedendi, ut & de suspensione executionis vid. *Ord. S. Tr. R. Wism. tit. 7. per totum.* Illud autem quoad Cameram Spirensem, à quo nec in hoc ipso divertit *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 3. tit. 7. §. 11.* veluti singulare observes, quod in illâ hodiè per *ultimum Recessum Imp. Ratisbonensem de Anno 1654.* constitutum sit, ut quoties sententia in Camerali Judicio fuerit lata, & ab illa Revisio petita, hæc nunquam effectum *remedii suspensivi* habere debeat, sed nihilo-

Restitutionis in integrum.

Revisionis.

nihilominùs executioni mandari, ita tamen, ut Actor caveat, si sententia lata in revisorio Judicio reformata fuerit, ea omnia, quæ accepit, restituere velit, & quidem cum omni causa. *Leuteratio* in foro Saxonico tam contra sententiam interlocutoriam, quàm definitivam etiam post sex conformes sententias obtinet. *Carpz. d. l. tit. 17. art. 4 num. 9.* Verùm *Oberleuteratio* non nisi in sententiis definitivis & interlocutoriis mixtis, quæ vim habent definitivæ locum invenit, & quidem in supremo Principis judicio latis. *Carpz. d. l. tit. 17. art. 5. n. 31. & 40.* Leuterationis & Oberleuterationis

§. 36. Si apud superiorem in alio judicio oppugnanda suscipitur prioris instantiæ sententia, nullum aliud adest remedium, quàm *Appellatio*, utpote *quæ est ab inferiore Judice ad superiorem, ratione alicujus gravaminis facta provocatio. Bender. d. l. in proœm. n. 4. p. m. 3.* Estq; vel *Judicialis*, quæ statim in ipso judicio, post publicatam sententiam, stante pede, stehendes Fusses/ eò quòd partes in judicio stent, Judex verò sedeat, à minore ad majorem judicem interponitur: Alia *Extrajudicialis*, quæ extra judicium, vel à præsenti, vel futuro gravamine suscipitur, *Bender. d. l. n. 5. Rosb. d. l. tit. 73. n. 4.* junge die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 38. §. 2.* eaq; in omni causa admittitur, illis exceptis, in quibus jura eandem & Provinciarum statuta, vel etiam concessa privilegia prohibuerunt, quales sunt (1) causæ infra legitimam appellandi quantitatem, *Nov. 23 c. 3.* quæ è dispositione *S. Tr. R. Wism.* est *ducentorum Joachimicorum in divitibus*, in *pauperibus* autem *viginti qvinqve Imperialium, dict. Ord. p. 2. tit. 1. §. 9. & 10.* exceptis causis, quæ detrimentum honoris, aut famæ, aliudve præjudicium

vel in diverso Judicio per Appellationē, quæ vel Judicialis, vel Extrajudicialis, atq; omnī in causa admittitur exceptis excipiēdis.

cium inferunt, *d. §. 9.* è privilegio autem Cæsareo Illustr. Ducibus Mekelenburgensibus de Anno 1651. concesso, quoad provocationem ad Cameram duorum millium florenorum Rhenanorum. (2) Res dilationem non admittentes. *l. 7. pr. ff. de appell. recip.* (3) Moribus nostrorum judiciorum, jure communi secus est, *Rosb. d. l. tit. 73. n. 21.* negotium, in quo saltem simplex interlocutoria lata est sententia, dico *simplex*, si enim vim habeat definitivæ, vel damnum per definitivam irreparabile inferat, ab eadem appellare permissum. vid. P. H. G. O. *tit.* von *Appellation.* §. auff daß auch von *Interlocuten.* & §. wären aber die Urtheil. *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 1. §. 11.* (4) Res ad executionem jam deductæ, quippe nec ab executione potest appellari, *l. 4. pr. ff. de appell.* nisi executor vel malè sententiam interpretetur, vel etiam præscriptum in illa modum excedat. *l. 5. C. quor. appell. non recip.* (5) Causa possessorii momentanei, seu summarissimi, nisi tales adsint circumstantiæ, quæ illam appellabilem reddant, quo tamen casu effectum saltem devolutivum, non suspensivum consequitur, *d. Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 1. §. 13.* nisi doceatur, sententiam latam hujusmodi damnum afferre, quod in possessorio ordinario emendari nequeat. *dict. Ord. d. l.* (6) Causæ criminales, nisi in iis super nullitate processus querela instituatur. *Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 14.* (7) Causæ ad publicam curam Religionis spectantes. *d. Ord. d. l. §. 15.* Ut autem ab omni causa, his exceptis, rectè appellatur; ita cuivis illa permittitur, qui se latâ sententiâ, sive per iniquitatem, sive imperitiam Judicis gravatum agnoscit, *l. 2. §. sed si alius. ff. quand. app. l. 1. l. 5. ff. de appell. recip.* in tantum,

tum, ut etiam tertius quispiam, ratione sui interesse, vel præjudicii, in continenti tamen probati appellare queat. *l. 1. l. 4. ff. de appell.* Excipiuntur tamen (1) qui ob veram contumaciam condemnati. *l. 1. C. quor. appell. non recip. l. 13. §. 4. C. de Jud.* (2) Qui anteà appellationi renunciarunt. *l. 1. §. 2. ff. à quib. appell. non lic. l. 5. §. fin. C. de temp. & repar. appell.* (3) Confessi & convicti de crimine. *l. 2. C. quor. appell. non recip.* (4) Debitor fiscalis, vel tributarius publicus. *l. 4. C. eod.*

§. 37. Modus procedendi porrò hic est (1) Appellatio intra *decendium*, seu decem dies vel coràm *Judice* à quo, vel coràm *Notario & testibus*, si Judicis copia haberi nequit, vel ejus præsentia timetur, *Rosb. tit. 73. n. 23.* à die latæ sententiæ, si eam latam sciverit appellans, sin minus à die scientiæ interponitur, *Nov. 23. pr. usque ad §. hac sancimus c. 29. §. si adversus absentem c. 2. q. 6. Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 2. §. 2.* idq; decendii tempus usque adeò accuratè observandum, ut si à parte gravata negligatur, eo elapso, amplius non audiatur, *Rosb. d. l. n. 24.* (2) Judici à quo, si coràm Notario facta sit Appellatio, *illius interpositio* significatur, ne is ad executionem procedat, quamdiu enim Judex ignorat remedium suspensivum esse apprehensum, liberæ ipsius sunt manus, dum aliàs per appellationem istæ omnino ligantur, (3) post cœptam legitimam provocationem, quo prior sententia corrigatur, & pleni, seu plenarii processus decernantur, illa justo ordine in judicium ad quod intra tempus ab illo præfinitum, quale in Camera est *semestre*, *Ord. Cam. p. 2. tit. 30.* in summo Tribunali Regio Wismariensi & Dicasterio Pomeraniæ Regiæ *trium mensium* ex Ord. Cancellariæ Gustrovi-

Modo procedendi in Appellatione, Ubi (1) observanda. Fatalia interponendæ Appellationis, quæ sunt X. dierum.

(2) Introducenda.

ſtrovienſis in caſu factæ appellationis à judiciis inferioribus *ſex ſeptimanarum* à tempore interpoſitæ appellationis, Poſn. H. G. O. *tit.* von *Appellation* §. alle *Appellation* Sachen *& dict. Ord. S. Tr. R. Wiſm. p. 2. tit. 2. §. 4.* Fürſtl. Güſtr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 38. §. 4.* cum exhibitione documenti interpoſitæ appellationis, Notarii alicujus immatriculati & Libello appellatorio ad impetrandum *exhibitionem* & *compulſoriales*, tum *citationem* venit introducenda, Poſn. H. G. O. & §. (4) Judex ad quem expendit libellum appellationis, eiq; inſerta gravamina, utrum mereatur, ob illa recipi, nec ne, ſi meretur recipi, plenarii decernuntur proceſſus ſub hac formula: daß die Gravamina für erheblich erkandt/ und deßwegen die Appellation angenommen ſey. Et tum (5) Judex â quo, vel *defert* appellationi, & mittit Acta priora incluſa literis ad ſuperiorem Judicem, ſignificando, ſe in honorem ejus appellationi detuliſſe, quæ literæ dicuntur *Apoſtoli* ab ἀποστέλλω, mitto, & quidem *reverentiales*, in honorem ſuperioris, vel *teſtimoniales*, in teſtimonium factæ appellationis, vel non *defert*, cum frivola ſit & cavillatoria, ita ut Judex ſuperior, eam nec recipere debeat, nec eidem deferre, atque tum mittit literas, quibus illam refutat, quæ propterea *Apoſtoli refutatorii* audiunt, vid. *Rosb. d. l. tit. 74. n. 5.* (6) Appellantis eſt poſt inſinuationem Compulſorialium Judici â quo, ſi Appellationi deferat, ſe ad præſtationem juramenti appellationis ceterorumque ſolemnium offerre, ac petere, ut appellatus ad videndum talia præſtari citetur, Actaq; edantur, quod ſi differat Judex, aut deneget, *priori caſu* documentum factæ requiſitionis petendum eſt, *poſteriori* arctiores

ctiores Compulsoriales rogandi, *O. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 3. §. 11. & 13.* Pomm. H. G. O. *tit.* von *Appellation §.* als aber der *Appellante.* (7) Appellatus, seu pars adversa, contra quem appellatũ, in termino justificationis non minus quam appellans comparere tenetur, & si non comparet, appellans ejus contumaciam accusat, ubi, si non peremptoriè fuerit citatus, denuò citatur, & quidem sub præjudicio, vel peremptoriè, quod si denuò accusatur illius contumacia, Judex pro arbitrio vel in contumaciam procedit, vel tertiam dilationem indulget. Inprimis (8) appellans tempus justificandæ & prosequendæ appellationis observare tenetur, quod ratione *justificationis* ex *Ord. S. Tr. R. Wism.* est 42. dierum ubi cum repetitione Libelli appellatorii Acta prioris instantiæ exhibere tenetur, nisi legitima intervenerint impedimenta, *Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 5.* Ratione verò *prosecutionis* est *annus*, vel, interveniente legitima causa, *biennium, authentica ei qui C. de temp. & repar. Appell. c. 57. §. licet igitur X. de appell.* Atq; hæc tempora seu fatalia strictè sunt observanda, aliàs appellatio pro deserta habetur & causa ad judicem, â quo executioni mandanda remittitur. *Clem. sicut de Appell. Harpz. de Proceß. Disp. 6. th. 99. Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 6.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. d. t. 38. §. 6.* nisi fortè ob legitima impedimenta *prorogationem fatalium*, aut, his elapsis, *restitutionem in integrum contra eorundem lapsum* petierit, eamq; impetraverit, *d. Ord. S. Tr. R. Wism. d. l. §. 67. & 8.* (9) Justificatio Gravaminum & prosecutio apellationis adversæ parti, seu appellato, communicatur cum termino, ut respondeat, quæ scriptura dicitur *Exceptio Justificationi Gravaminum opposita*, & potissimùm

(3) Prosequendæ.

mùm contra duo opponitur, *Formalia* sc. & *Materialia*. Quoad *Formalia* objicitur (1): Non intra fatale tempus, decem sc. dierum fuisse appellatum. (2) Non ad Judicem competentem & immediatè superiorem. (3) Summam non esse appellabilem. (4) Non eo modo, quo debetur è statuto, vel consuetudine, fuisse appellatum. (5) Solemnes clausulas: *Salvo decernentium honore, nondum deducta deducam, nondum probata probabo,* fuisse omissas. (6) Appellantem nomine alieno vel destitutum esse mandato, vel non sufficienti instructum. Quoad *Materialia* Gravamina non esse ex Actis desumta, multò minùs iis conformia, sed planè aliena, quæ tamen in appellationem deducere non licet. *Rosb. d. l. tit. 75. n. 38.* His objectionibus *Appellans* reponit *Replicam*, *Appellatus Duplicam*, & utraque pars concludit, vel Acta pro concluſis habentur, *Ord. S. Tr. R. Wism. p. 2. tit. 36. ibi:* Daß ultra duplicas keine Schrifften eingebracht / &c. sondern in den Re- & Duplicis &c. von allen Theilen geschlossen / oder doch Ampts halber die Acta für beschlossen angenommen werden sollen. Interim pronunciatum judicis à quo respectu causæ, in quâ appellatum, suspenditur, & pendente appellatione, nihil novari potest. *tot. tit. ff. nihil nov. app. interpos. l. 5. ff. de appell. recup. Rosb. d. l. tit. 73. n. ult.*

(4) Exceptio contra justificationem Gravaminum.

(5) Appellantis Replicatio & Appellati duplicatio.

(6) Conclusio.

§. 38. Post sententiam latam & vel statim in rem judicatam abeuntem, vel per remedium suspensivum impugnatam & tandem iterum decisam, jamq; executioni mandandam, de *Expensis* primùm disquiritur, posteà de ipsa *Executione:* Quoad *Expensas* pro regula est: *Victus victori regulariter in expensas condemnatur. l. 13. §. 6. C. de Jud. l. 5. C. de Fruct. & lit. Expens.* Rectè dicitur

Demùm expendenda disceptatio super Expensis.

regula-

regulariter, si quis enim justam habere litigandi causam sit deprehensus, in expensas non condemnatur, quin potiùs expensæ compensantur. *Gail. 1. Obs. 152. n. 3.* Pöss. H. G. O. *tit.* von Gerichts-Kosten / Schaden und Abnützungen. §. Aus was Uhrsachen aber der Richter. *ibi:* So ferne nicht klärlichen zu spüren / daß der verlustige Theil zu litigiren ansehnliche/ gute Uhrsachen gehabt. Sunt autem *aliæ* in *rem* sive *mobilem*, sive *immobilem*, *tot. tit. ff. de impens. in rem al. fact.* quæ tamen huc non spectant; *aliæ* in *litem*, de quibus hîc. *Eæq;* debentur vel ratione *victoriæ in causa*, vel ratione *contumaciæ*, ubi in quolibet debentur articulo, etiam non expectatâ sententiâ definitivâ, vel ratione *retardati processus*, vel *temerariæ citationis. Rosb. tit. 78. n. 4.* Non tamen omnes in condemnationem veniunt, sed *judiciales* tantùm & *necessariæ*, quæ sc. in causæ, litisve instructione & prosecutione factæ, puta, in constituendis Advocatis & Procuratoribus, productione & examinatione testium &c. non delicatæ, vid. die Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 35. §. 1.* Sed utrum, si Judex in sententia omiserit condemnationem partis victæ in expensas, earum petitio adhuc supersit, quæstionis est. Distinguitur, an mero Judicis officio debeantur, aut jure actionis; Priori casu minùs rectè; posteriori propitio jure petuntur, quando, ut sententia non tollit actionem separatam, ita nec impedit, quo minùs expensæ rectè petantur, quarum ista mentionem non facit. In criminalibus autem post sententiam absolutoriam expensæ rectè petuntur, per *Const. Crim. Car. V. art. 12. & 13. Mev. p. 3. Dec. 293.* Æstimatio autem earum & designatio à victore priùs judici offerenda, posteà, citato atque audito

Quæ vel in rem sunt, vel in litem.

dito reo, ſuper hac à Judice ex bono & æquo inſtituitur taxatio & moderatio, atque ſuper hac rurſum victori per interlocutoriam juramentum defertur. *Auth. poſt jusjurandum. C. de Jud. Rosb. d. l.* Pom. H. G. O. *dict. tit.* §. dieweil aber nicht müglich. junge die Fürſtl. Güſtr. Cantzl. Ordn. *d. l.* §. 2. Quoad *Executionem*, quæ eſt *perſecutio & perfectio rei judicatæ, parte citatâ, in bona, vel corpus condemnati facta*, *Rosb. d. t. 79. n. 2.* hic eſt procedendi modus: In *actione perſonali* (1) mandatur reo judicato, ut intra certum tempus, ſive quatuordecim dierum, ſive trium, quatuor, aut ſex ſeptimanarum, vel etiam duorum menſium &c. ſententiæ ſatisfaciat, cum hac comminatione, quod ſi non ſatisfecerit, vel arbitrariè puniri, vel, ſi eſt cauſa debiti, actor in ipſius bona mitti debeat. Pom. H. G. O. *tit.* von *Execution* oder Vollenziehung geſprochener Urtheil. §. Iſt aber auff Schuld / oder andere perſönliche Förderung geklaget. *&c. Ord. S. Tr. R. Wiſm. p. 3. tit. 1.* §. 4. Fürſtl. Güſtr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 39.* §. 1. Et quidem tum (2) reus, vel ipſius Judicis mandantis jurisdictioni ſubeſt, aut non: *Si non*, diſpiciendum, utrum Judex, cui reus ſubeſt, Judici ſuperiori ſit ſubjectus, nec ne; ſi eſt ſubjectus, huic, tanquam inferiori, executio demandatur; ſi non eſt ſubjectus, rogatur per literas ſubſidiales, ſeu in ſubſidium juris, ut executionem inſtituat, Pom. H. G. O. *d. l.* §. und ſo die verluſtige Parthey. Quo caſu itidem (3) adhuc prius præmonetur, daß er innerhalb gewiſſer Zeit zahlen / oder der unfehlbaren Execution gewärtigen ſolle. Pom. H. G. O. *d. l.* §. die verordnete *Executores*. Quod ſi verò nec tum ſolvat, ad ipſam demùm, in tam præfractam contumaciam, devenitur executionem. Ubi (4) hic ordo ſerva-

Ad ultimũ diſpiciendum de ipſa Executione.

Quomodo facienda,

per quos,

in quæ bona.

servatur: (1) Auferuntur parati nummi, si adsint, (2) ista mobilia, è quibus facilimè quidem pecunia redigi, sed reus quàm optimè indigere potest, Pomm. H. G. O. *tit.* in welchen Stücken *&c.* die *Execution* geschehen soll. §. erstlich soll. quare excipiuntur *boves, aratra, aliave instrumenta rusticorum*, item Saat / Brod-Korn und der Bauren Hoff-Wehr / Pomm. H. G. O. *d. tit.* in welchen Stücken und Gütern die *Execution* geschehen soll. §. dieweil auch fast Pom. Landtags Abscheid *de Anno 1614 tit. 5.* § imgleichen. *Auth. agricultores. C. quæ res pign. oblig.* Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *p. 2. tit. 39. §. 1. & 2. Scholarium libri*, nec non *equi, arma & stipendia militum, l. stipendia. ibiq; Dd. C. de execut. rei jud.* tum *opificum instrumenta*, quibus in suis opificiis utuntur, Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *dict. loc. §. 1.* denique *ægrotorum & puerperarum lecti & lintearia, utensilia.* Pomm. H. G. O. *dict. tit. §.* deßgleichen. *&* §. also auch. (3) Si non adsunt mobilia, nec vendi queunt, immobilia capiuntur. (4) Hæc, si ita Judicii, aut Regionis mos est, publicè subhastantur & illi, qui maximum pretium licitatus, adjudicantur, creditori verò redemta ex iis pecunia solvitur. Sed quæritur, num etiam is, qui distinctis terminis, auff lange Zeiten / majorem pecuniæ summam offert pro eo, qui minorem summam, sed in paratis nummis consistentem pollicetur, pro maximo licitatore æstimandus sit; De jure civili negatur, utpote quod præsenti tantùm pecuniâ, umb bahr Geld / licitationem admittit. *l. 15. §. 7. v. oportet. ff. de re jud.* De moribus Saxonicis affirmatur, modò pretium majus per diversa tempora solvendum, deducto interusurio, superet paratam pecuniam à licitatore oblatam, aliàs enim pro majori pretio reverà

& quomodo illa, quandoq; distrahantur, quomodo æstimẽtur,

æstimari nequit. *Modestin. Pist. p. 8. q. 142. ibiq; Schultes. n. 13.* (5) Si vendi nequeunt, taxantur à peritis & juratis hominibus, proq; isto pretio in solutum addicuntur, quò etiam spectant res omnes immobilibus æquiparatæ. (6) Si neque immobilia adsunt, devenitur ad nomina & actiones. *l. 15. §. 2. ff. de re jud. Rosb. d. l. n. 11.* Pom. H. G. O. *dict. tit. §.* Seynd aber keine verhanden. (7) Si reus est suspectus, quòd mobilia occultaverit, vel alió transtulerit, mediante juramento illa profiteri tenetur. (8) Creditoris etiam est, certa bona denunciare, in quibus optet immissionem. (9) Creditor obstringitur solvere die Hülffs-Gelder/ quæ Judici executionem decernenti solvuntur, licet reus illas eidem restituere obligatus. Et hæc de actione personali: In *reali* restitutio, seu satisfactio in continenti facienda, quamprimùm saltem res restitui potest, *§. 1. & ibi Angel. Inst. de off. Jud. l. qui restituere 50. ff. de R. V. Rosb. d. l. n. 14.* aut ab executore sine mora occupatur, partiq; vincenti traditur, Pom. H. E. O. *dict. tit.* von *Execution*, oder Vollenziehung gesprochener Urtheil. §. wie lange Zeit/ oder Frist. *Rosbach. d. l.* Quam ita decretam executionem in utraque actione ut nullæ unquam impediunt *Exceptiones altioris indaginis, Rosb. d. l. n. 16. Mev. p. 3. d. 16. n. 2. & p. 4. dec. 355.* licet reo ad reconventionem reserventur, ita illius cursum *in continenti liquidabiles* omninò morantur, quales sunt *solutionis, compensationis, præscriptionis*, & his similes, de quibus vid. *Carpzov. Prax. For. p. 1. const. 8. à Def. 17. usque 23.* Dico in continenti liquidabiles, id est, quæ intra terminum executioni præfixum, seu tempus, quo processus executivus expediretur, nisi exceptio opposita fuisset, liquidari possunt,

Postremò quæ Exceptiones illam impediant, quæ non.

Ubi in cõtinenti liquidabilibus illa vis solùm adscribitur.

Harum descriptio.

possunt, vel summariè saltem probari, *Coler. de Proceß. Executiv. p. 4. c. 3. §. 16. Carpz. Prax. Forens. p. 1. Const. 8. Def. 27.* sicuti altiorem indaginem requirentes illæ sunt, quæ infra illud tempus examinari nequeunt. *Coler. dict. loc. num. 17.* Probantur autem illæ exceptiones per productionem instrumenti, Apochæ, vel Quitantiæ, aut alterius cujuscunque confessionis creditoris de facta solutione: Utrum pari ratione per testimonia vivæ vocis, seu testes, ambiguæ quæstionis est: Negat *Coler. dict. loc. à n. 23. usque ad n. 27.* eò quòd probatio per testes tanquam altiorem indaginem requirens non sit admittenda in processu executivo, referens se ad *Menoch. de arbitr. Jud. Quæst. lib. 2. Cons. 17. n. 7.* cui suffragatur *Berlich. p. 1. Concl. 57. n. 77.* Affirmat è contrario *Hartm. Pistor. p. 4. q. 13.* cui in hoc casu subscribo, si reus ad probandum hujusmodi exceptiones statim intra terminum executioni præfixum testem producat & summariter absque articulis ordinariis & interrogatoriis aliisq; solennitatibus ad processum ordinarium pertinentibus examinari curet, tum enim, cessante contrariæ sententiæ ratione, sc. quòd per ordinariam & solemnem testium probationem executio ultra terminum præfixum suspenderetur, atque ita processus summarius & executivus in ordinarium converteretur, cessabit quoque ejusdem vis & effectus, vid. *Carpzov. pr. for. p. 1. Const. 8. def. 29.* Nec etiam est, quòd conqueratur creditor de suspensa, aut protracta executione, aliàs privilegiatâ, si debitor in productione & examinatione testium summariè procedat, & intra terminum executioni præfixum exceptiones suas perinde, ac per instrumenta perfectè

probet: *Carpz. d. def. n. 6.* cui jungas *Berlich. p. 1. concluſ. 57. n. 79.* qui in ſuperiorem caſum, ejusq; procedendi modum tandem conſentit, & in Facult. Jurid. Lipſienſi ita judicatum meminit Anno 1618.

Proceſſus ſingularis.

§. 39. Cùm etiam præter *ſuperiores* ordinarii Proceſſus *Articulos* tam *primæ*, quàm *ſecundæ*, ut dicitur, *Inſtantiæ*, ſingularis occurrat nonnullis in cauſis procedendi modus, à proceſſu juris ordinario planè diverſus, non disconveniet, hunc paucis delibaſſe; Obſervatur autem potisſimùm (1) in *Remedio ex L. diffamari. C. de ingenuis manum.* (2) In *Actione è l. ſi contendat. ff. de fidejuſſ.* (3) In *Arreſtis.* (4) In *Proceſſu Executivo.* I. *REMEDIUM* è l. diffamari. quod attinet, in illo hic eſt procedendi ordo: (1) Diffamatus in Judicio diffamatorio ad agendum provocat diffamantem coràm ſuo judice ordinario, petitq;, ut ei, cognitâ cauſâ, terminum ad probandam diffamationem conſtituat, vel, ſi hoc non præſtiterit, ſilentium ei imponat. (2) Diffamatus per ſummariam prius teſtium depoſitionem allegatam diffamationem judici probare tenetur, antequam citatio ab illo decernitur. *Gail. 1. Obſ. 10. n. 7. & 8. Carpz. Proc. Jur. tit. 20. art. 3. §. 1. n. 2.* Fürſtl. Güſtr. Cantzl. Ordn. *part. 2. tit. 13 princ.* (3) Diffamans, cujus deinde electio eſt, ſi diffamatus plura ſortiatur fora, quod velit optare, ſi citatus in primo termino non comparuerit, arctiori citatione compellitur, ſi in ſecundo etiam termino emaneat, ſub comminatione perpetui ſilentii denuò evocatur, quod ſi hunc quoque contumaciter neglexerit, in tertio hoc termino perpetuum ei ſilentium imponitur, ſimul atque in expenſas, ſalvâ moderatione, condemnatur, *Carpz. Proc. Jur.*

(1) In Remedio è L. Diffamari.

Jur. tit. 20. art. 3. & pr. crim. p. 2. q. 97. n. 74. Fürstl. Güstr. Cantzl. Ordn. *d. l. circ. fin.* si autem comparuerit, & diffamationem fateatur, ad hanc probandam, vel agendum compellitur, & tum, institutâ actione principali, judicium diffamatorium extinguitur. (4) Diffamatus in hoc judicio neque ad cautionem pro reconventione & expensis, neque ad guarandam obligatur, quia hoc actoris onus est, at diffamatus hîc rei vices sustinet. *Gail. 1. Obs. 9. Carpzov. Proc. Jur. dict. l. tit. 20. §. 2.*

II. *ACTIONEM* è *l. si contendat. ff. de fidejussorib.* ut attingamus, in illa hic instituitur progressus: (1) Fidejussor, qui confidejussores habet, & de exceptione divisionis sibi competente in judicio agit, provocat hac actione creditorem ad agendum, eumq; in tantum illâ astringit, ut si non confestim actionem suam adversus se instituerit, nihilominus hac divisionis exceptione tutus sit, licet confidejussores solvendo non sint, *l. hac contendat. 28. ff. de Fidejuss.* sed creditor, impositio quasi perpetuo silentio, ulterius non audiatur, licet enim regulariter, judicio ab actore inchoato, reus contrarium libellum offerre nequeat, multò minùs Judex super allegato in hoc diverso jure utut probato directè pronunciare possit, ante motam tamen ab alio actionem jus suum reus in judicium deducere, &, actore moras nectente, super hoc ut pronuncietur, petere potest. *Heig. p. 2. q. 8. n. 8.* (2) Provocatus etiam invitus Actor constituitur in judicio principali, quo suscepto, illud ex *l. si contendat.* tollitur. (3) Onus probandi in hoc judicio non provocanti, sed provocato incumbit. (4) Provocatus absque ulla prævia diffamatione agere cogitur, modò debi-

(2) In Actione è l. si contendat. ff. de fidejuss.

debitum non sit conditionale, aut in diem. *Heig. d. l. n. 14. & 19.* III. *ARRESTI* singularia ut strictim persequamur: (1) Petiturus arrestum, quod omninò differt à sequestratione & præcepto de non alienando, *Carpz. d. l. tit. 21. §. 2. & 3. Harpr. de Proc. Jud. disp. 6. c. 13. th. 365.* cujuscunque sit conditionis, sive etiam filius, sive filia, sive vasallus tenetur fidem facere crediti à se allegati exhibendo, prout in hac & vicina Provinciâ moris est, originale, vel vidimatum, ceu latinissant Practici, obligationis, aut alterius instrumenti exemplar, vel etiam testes producendo, qui contractui, aut numerationi adfuerunt, vel, ubi periculum est in morâ, aliâ etiam ratione jus suum demonstrando. *Berlich. p. 1. dec. 107.* Posthæc summariè, vel præsumtionibus quoque & conjecturis docere opus habet debitoris, contra quem agit, inopiam, &, si præsumtionibus destituatur, jurato. *Gail. 2. Obs. 44. n. 7.*

(3) In Arresto.

// (2) His præmissis ritè demonstratis, judex rectè decernit arrestum, nec illud denegare potest, nisi à creditore damnum inde patiente ad interesse conveniri // velit. *Coler. de Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 176.* (3) à parte impetrantis exigitur, ut arrestum ritè prosequatur, quod si neglexerit, sueto more ad petitionem arrestati relaxatur, si verò prosequatur, reo terminus ad exceptiones & defensiones pro sua parte ad relaxandum inferendas datur. (4) His deductionibus & exceptionibus utrinque pensitatis, si vicerit arrestatus, absolvitur & arrestum relaxatur, sin minus, ad solvendum, vel dandum compellitur. *Rosb. d. l. tit. 28. n. 44.* (5) Si arrestatus ab arresto legitimè decreto bona sua liberare gestiat ante finitam litem, fidejussoribus, aut pignori-

gnoribus cavere tenetur, quod in arresto illegitimè concesso non necessarium, utpote quod absque omni cautione relaxatur, *Carpz. Proc. Jur. tit. 21. art. 5. §. 7. n. 46.* plura vid. apud *Rosb. d. l.* tum *B. Mev. & Gail. de Arrest.* IV. *PROCESSUS EXECUTIVI* summa capita ut absolvamus, hic, sicuti nobis is dicitur, quo summariè, absque longo litis sufflamine, ex instrumento guarentigiato, aut debito confessato adversus debitorem agitur executivè, *primò* locum habet (1) in debitis liquidis & guarentigiatis, quorum fides indubitata ex instrumento sive publico, sive privato appareat, ita, ut factâ recognitione, reus è vestigio convinci & condemnari possit, nec quicquam paratam executionem moretur, præter exceptionem solutionis, compensationis, aut aliam è natura contractus pendentem. *Heig. p. 2. q. 7. n. 27. Carpz. Proc. Jur. tit. 22. art. 1. n. 27.* junge die Pom. H. G. O. *tit.* In welchen Sachen keines schrifftl. Beweises nötig. (2) In debitis judicialiter confessis. *Carpz. d. l. n. 20.* Pom. H. G. O. *d. tit. §.* klare und richtige Sachen. (3) In debitis, quæ è promissione, aut conventione partium coràm judice facta, vel etiam apud Acta manifestantur. *Heig. d. q. 7. n. 40.* (4) In instrumento depositi. *Caroc. in tract. depos. p. 1. q. 3. n. 33.* (5) In instrumento, cui appositum est juramentum litis decisorium, aut simile, vel juramento assertorio subjecta est clausula, quod omnia in instrumento contenta partes cum juramento attendere & observare promiserint. *Heig. d. l. n. 37.* (6) Ubi ex ultimâ voluntate petitur hereditas, legatum, vel fideicommissum. *l. fin. C. de Edict. Div. Hadr. toll.* (7) In instrumento, cui insertum est pactum executivum, vel simi-

(4) In Processu Executivo.

// lis clausula, quâ cavetur, ut instrumentum paratam
// habeat executionem in bonis debitoris, ac liceat cre-
// ditori ea propriâ authoritate ingredi, quales clausulæ
// hodiernùm crebrò Instr. oblig. annectuntur. *Heig. d. l. n. 41. & seqq.* *Secundò* quoad modum procedendi (1) nec libellum, nec litis contestationem solemnem requirit, sed (2) qualem qualem tantùm petitionem, sive oretenus, sive in scriptis factam, quâ actor jus suum demonstrat, offerendo unà instrumentum liquidum, nedum (3) litis contestationem exigit, sed (4) à reo postulat recognitionem, aut juratam diffessionem in hunc finem, ut, factâ recognitione, vel confessione debiti demonstratâ, (5) ad ipsam deveniatur executionem, vid. *Heig. d. l. n. 30.* *Tertiò* hoc processu executivo omnes utuntur creditores, etiam cessionarii contra debitores, eorumq; heredes, non tamen contra successorem singularem, vel tertium possessorem, *Berlich. p. 1. concl 80. n. 46.* nisi executivè obligatus res suas in fraudem creditoris alienaverit, vel creditor in bonis debitoris jam antè per sententiam jus executivum acquisiverit, aut parata executio intentetur è jure reali. *Coler. de Proc. Exec. p. 2. c. 3. n. 448.* *Ultimò* admittit tamen hic processus ad impediendam executionem, *exceptiones in continenti liquidabiles, solutionis, compens. usurariæ pravitatis, simulationis SCti Macedon. excuß. erroris calculi, non numeratæ pecuniæ, implementi non secuti*, aliasq; peremtorias, quæ summariter absque articulis probatoriis per *instrumenta*, vel *propriam actoris confessionem* omnium usitatiùs, per *testes*, non nisi in defectu hujus probationis, & quidem urgentibus ex causis, nunquā verò per *juramentum, præsumtiones*, aut *conjecturas* probantur, vid.

Carpz.

Carpz. d. l. tit. 22. art. 3. & 4. per tot. adde Berlich. p. 1. concl. 57. junct. §. superiori 38. in fin.

§. 40. Ad ultimum quoad judicium possessorii summarissimi, in quo nullo juris ordine servato mature & summariè super possessione partium, salvo negotio, proceditur, observes (1) hoc vel officio Judicis nobili, Amptshalber / & quidem ante, vel postquam partes judicialiter contendere cœperunt, vel mercenario ad preces partium constitui: Si officio Judicis nobili, intellige tamen competentis, qui hic est Judex loci, ubi status possessio turbatur, *l. 1. C. ubi de poss. ag.* dispiciendum ab initio, utrum partes reverà inter se contendant, vel possessionem vacuam invicem invadere conentur, neuter tamen ad judicium provocet, & periculum armorum subsit cum Reipublicæ damno, alias enim ex officio nunquam decernitur citatio, & tum pro re nata jungitur illi vel sequestratio, vel inhibitio, vel junguntur mandata de non turbando, non offendendo, de restituendo, parendo, aliave pœnalia, quæ hic explicare non vacat, vid. *Ord. Cam. p. 2. tit. 21. §. fin.* Si ad postulationem partis, necesse est, ut actor, qui primus semper est provocans, in terminis nudæ possessionis maneat, pura in possessorio retinendæ, vel recuperandæ, & intentionem suam vel per libellum articulatum, vel summarium exponat, addità promissione, se posthac articulos suos probatorios cum directorio, nominibus testiũ & Commissariorũ producturum, adhæc etiam tenetur de narratis suis judici fidem facere, quare, ut supplicãs documenta, aut articulos relevãtes pro possessione sua offerat,

Nec non (5) in Judicio Possessorii summarissimi.

omninò necessum est, antequam citatio & processus decernantur. (2) Processu & citatione obtentis, cui sæpè extra supplicatis petitum ob pacem publicam alia remedia junguntur, *Mindan. de Proceß. l. 1. c. 44. n. 1.* nullæ admittuntur exceptiones dilatoriæ, exceptâ fori declinatoriâ, nullâ requiritur litis contestatio, sed saltem ab alieno nomine litigantibus cautio de rato, à partibus verò postulatur, ut articulos offerant processui huic conformes, nempe, qui actus merè possessorios continent, difformes enim rejiciuntur, quales si omnes sint, parti novos formare injũgitur: deinde in possessorio hoc, præter unam sive ad petitionem partis, sive in contumaciam, nulla datur dilatio, quia continuò partes progredi necessum habent ad probationes, quibus unus quandoq; testis juratus sufficit, *carpz. d. l. tit. 23. §. 6.* attestationes audiuntur, & absque ulla harum publicatione statim in causa concluditur. *Gail. 1. obs. 6. n. 8.* (3) Post conclusionem fertur sententia, in cujus prolatione ad duo respiciendum: Merita & Formam. Merita petuntur è causæ meritis, quæ variant pro ratione eorum, quæ in judicium deducta, sive principaliter, sive ex accidenti; principaliter, de quibus principaliter actum, puta citatione, inhibitione, sequestratione & momentaneâ possessione: Incidenter, ut de expensis, quæ, cùm reservetur judicium ordinarium, semper compensantur, nisi propter contumaciam partis aliud statuendum. In *Forma* notandus maximoperè stylus curiæ, imprimis ut reserventur competentes processus ulteriores. (4) Publicata demùm sententia, cùm hîc nulla appellatio quoad processum suspensivum concedatur, nisi partes è conniventia judicis fines meri possessorii fuerint transgressi, aut provocans iniquitatem sententiæ, corruptionem judicis, vel aliam nullitatem in continenti probare possit, vel demùm tertius antè non citatus, nec auditus ratione sui interesse provocaverit, *Papon. de Arrest. lib. 8. tit. 11. Arrest. 3. 13. & 15.* statim, re ita suadente, petuntur Executoriales, seu mandata executorialia, juxta distinctionem horum remediorum, quam habet *Gail. lib 1. obs. 113. n. 13.* Plura de Processu Civili cognoscere avidus legat *Rosbach. Harprecht. Berlich. Coler. & Carpzov. dict. loc.*

TANTUM
pro ratione Instituti
DE PROCESSU CIVILI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0064
DFG

SECTIO II.
DE
PROCESSU FEUDALI.

§. 1.

Processus Feudalis cum Civili convenientia.

POstquam superiori sectione Processum JURIS CIVILIS strictâ brevitate tradidimus, placet inpræsens FEUDARIUM exponere, ille autem parum à civili differt, nisi ubi consuetudinibus Feudorum aliquid singulare ac proprium reperitur introductum, *Wesemb. de feud. c. 17. in fin. arg. c. 1. de feud. cognit. Matth. Steph. Oecon. Jur. feud. lib. 4. c. 13. n. 1. Herm. Vult. de feud. lib. 2. c. 3. n. 2. Gail. 1. obs. 1. n. 55.*

Methodus tractandi.

§. 2. Hunc verò istâ serie evolvisse juvabit, si primò *competentem causarum feudalium Judicem*, qui fundamentum est judicii, tum *Personas idipsum porrò constituentes*, ab his ipsas *actiones in hoc judicio adhiberi usitatas*, tandem *Processum*, seu *modum procedendi* considerabimus, *Lindeman. de feud. c. 12. n. 1. Struv. de feud. c. 16. §. 1.*

Judex competens in causis feudalibus.

§. 3. *Judex competens* in causis feudalibus modò est *Dominus feudi solus*, modò *una cum Paribus curiæ*, seu certis convasallis de eadem curia domini, modò *soli pares curiæ*, modò *Judex loci ordinarius*, modò *Arbiter*, *Struv. d. l. §. 4.*

Dominus quando solus jus dicat.

§. 4. *Dominus solus* jus dicit in *Feudis Regalibus*, veluti *Ducatu*, *Marchionatu*, *& Comitatu Imperii*, sive inter vasallos lis oriatur, sive inter ipsum & vasallum, prout hodiè adhuc in Imp. nostro Rom. Germanico Imperator tanquam feudi Dominus hisce de feudis solus jus dicit, *Ord. Cam. p. 2. tit. 7. & cap. Ferd. III. art. 25.*

verb. der darüber. neque Electorum, aut Statuum Imperii arbitrium opperiri opus habet, nisi velit, sicut olim sæpius factum meminit *Limn. in addit. ad lib. 4. Jur. P. c. 9. n. 40.* & hodie dispositum *in Instrum. Pac. Osnaburg. art. 5. c. 19. §.* den Gerichtlichen *Proceß. in fin. ibi:* Und ihrer Majestät frey seyn in grössern Sachen / und auß welchen eine Empörung im Römischen Reich entstehen könte / über solches alles auch etlicher Chur Fürsten / so von beyden Religion seyn / Meynung und Gutachten einzuholen / *conf. text. in cap. un. apud quem, vel quos controv. feud. defin. 1. f. 18. & in c. un. princ. de leg. Corrad. junct. Arum. disc. 3. ad Aur. Bull. c. 41. Borch. de feud. c. 10. n. 1. Carpz. ad L. R. G. c. 9. f. 12. n. 27.* Et hoc usque adeò verum est, ut ne Camera quidem cum Imperatore concurrat, *arg. c. 1. de leg. Corrad. 2. f. 24. apud quem vel quos controv. Ord. Cam. part. 2. tit. 7. Casp. Leopold. de concurs. jurisd. q. 5. Heig. p. 2. q. 9.* imò, ne sede quidem vacante, vicariis Imperii judicare de his feudis regalibus permittatur, sed ista cognitio futuro Imperatori reservetur, *arg. tit. 5. Aur. Carol. IV. Bull. ibiq. Buxtorff. th. 68. & d. Ord. Cam. p. 2. tit. 7. conf. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 3. & Arum. d. l. c. 40. Schultz. de feud. c. 12. n. 24.*

Quando unà cum paribus curiæ.

§. 5. *Una cum Paribus curiæ* Dominus legitimus & ordinarius judex feudalis existit in *Feudis non regalibus*, seu inferioribus, *2. f. 55. §. præterea. Petr. Gudel. de feud. p. 6. c. 1. n. 8.* Nec refert, an rusticus sit dominus, vasallus verò Nobilis, an fœmina, & quidem hoc usque adeò obtinet, ut nec alius judex à vasallis eligi possit, excepto solo casu, si justitiam administrare neglexerit, tum enim ad superiorem, vel judicem ordinarium causa devolvitur, *Canon. in cap. cæterum. X. de Jud. vid. Rosenthal. de feud. c. 12. concl. 1. n. 43. Gail. lib. 1. obs. 40.* imò in tan-

in tantum hoc domini judicium est privilegiatum, ut tam in clericos, quàm laicos & privilegiatos, puta scholares, milites & miserabiles personas, quarum nomine etiam morbo infirmi veniunt, *l. un. C. quand. Imp. int. pup. ubi Cujac. l. 49. C. de Episc. & Cleric.* exerceri queat, nec ullum hic exemptionis privilegium locum inveniat, *c. ex transm. X. de for. comp.* Licet enim hæ, similesq; personæ polleant potestate declinandi ordinarium judicem, *per d. l. un. C. quand. Imp. int. pupill.* attamen ad feuda id minimè extendendum, siquidem consuetudines feudales in personis vasallorum litigantium & Judicum nusquam ita distinguunt, atque ipsi etiam Clerici, quorum tamen in declinando Judice seculari maximus est favor, Judici feudali utut seculari se submittere necessum habent, *Gail. dict. lib. 1. obs. 1. n. 40. Vultej. de feud. lib. 2. c. 2. 22.* Et hoc maximè observatur in casu, si uterque litigantium se vasallum, feudumq; antiquum ad se spectare affirmet, *Text. in c. 1. §. illud tamen de invest. in maritum fact. 2. f. 15. Vult. d. l. c. 1. n. 17. Mynsing. 1. obs. 99.*

§. 6. *Pares Curiæ* jus dicunt in casu ortæ inter dominum & vasallum de feudo controversiæ, *§. fin. 2. f. 55.* vel in casu principaliter quidem orti inter duos convasallos litigii, sed aliàs etiam dominum concernentis, quod judicium vulgò dicitur das Mann- oder Mann-Lehns-Gericht / *Besold. thesaur. pract. hoc verbo: Matt. Steph. d. l. c. 2. n. 39.* In constituendo autem hoc pariu judicio non attenditur, an pares ejusdem cum litigantibus sint dignitatis, an inferioris, siquidem non à paritate dignitatis, sed paritate curiæ, quasi ejusdem curiæ vasalli & quidem à pari fide dicuntur, *Facb. 7. contr.* Quando soli pares.

7. cont. 102. Quod si verò dominus non habeat pares in eadem curia, vel non habeat sufficientes, vel inhabiles, aut suspectos, vel ad testimonium vocari necessarios, ex alia quandoque curia periti & habiles vocantur, *Rosenth. de feudis c. 12. concl. 7. n. 3.* aut ordinario cognitio defertur, in tantum, ut non requiratur hoc casu arbitros eligere, nisi uterque contendentium, dominus sc. & vasallus in id consenserit. *text. in cap. 1. ibi: si tamen pares habeat, de contentione ap. par. term. 2. f. 16. Hartm. Hartm. pr. observ. lib. 2. tit. 54. de feud. obs. 21. Mynsing. Resp. 22. n. 3. Dec. 3.* Si autem plures adsint è paribus curiæ ejusdem Domini, seu plures convasalli ejusdem curtis, certi ex his deliguntur, in quo actu deligendi prima ac potior Domini est electio, *c. 1. 2. f. 16. Sonsbec. de feud. p. 19. n. 32. Clar. §. feudum. n. 2.* usque adeò, ut, si vasallus nullâ justâ causâ commotus cunctetur, hi à Domino electi soli judicent, *Feudistæ communiter ad dict. c. 1. 2. f. 16.* Licet tamen hoc quoque in electis à vasallo obtineat, si Dominus electionem ex composito differat, sc. quòd soli jurisdictionem exerceant. *Schrader. de feud. p. 10. s. 8. n. 136. Vultej. de feud. lib. 2. cap. 2. n. 30.* Electi verò ab utraque parte ad judicandum, si abnuant, cogi possunt. *Lindeman. de feud. cap. 12. §. 55.* Sed utrum peculiare Jusjurandum ad hunc actum requiratur, utrum verò fidelitatis Juramentum sufficiat, quæstionis est, certè Jure feudali communi speciale aliquod juramentum à Paribus non exigitur, quin potiùs è *d. textu 2. f. 16.* apparet, fidelitatis Juramentum sufficere, vid. *Mynsing. lib. 4. Obs. 89. n. 8. Schneidewin. epit. feud. p. 2. c. 1. Berlich. p. 1. concl. 42. n. 78.* De moribus aliarum Provinciarum certi quid definiri non

& num hi peculiari juramento obstringendi.

non potest, sed acquiescendum in loci consuetudine, quæ mox feudale jus commune sequitur, mox diversi quippiam determinat, prout in terris Saxonicis contrarium observari docent. *Coler. decis. 294. n. 3. & Berlich. d. p. 1. concl. 42. n. 18.* Et in jure particulari Mecklenburgico de feudis à Serenissimo Principe ULRICO, ut beatæ, ita felicissimæ recordationis Anno 1602. die 26. April. statibus provincialibus oblato, contrarium æquè determinatum liquet, nempe quod Paribus curiæ juramentum fidelitatis, quo Domino obstricti, ratione causæ litigiosæ eorum judicio commissæ relaxari prius, & denuò hi peculiari juramento, de æquo & justo in futura dijudicatione observando, obstringi debeant, *tit. 25. art. 3.* ibi: Und diesen Lehn-Männern/ welche von beyden Theilen erwehlet worden/ ist der Lehn-Herr die Eyde und Pflichte/ damit sie ihm verwand/ so viel die streitige Sachen/ und das dahero ihnen auffgetragenes Richterliches Ampt betrifft/ zu erlassen schuldig. & *art. 4.* ibi: Und werden alßdann dieselbige beyderseits Erwehlte zusammen verordnet/ und auß ihren Mitteln einer zum Richter/ und die andern zu Beisitzere *constituiret*/ und sie sämptlich mit einem Eyde beleget/ daß sie nemlich in der Sachen/ darin sie zu Richtern und Urtheilern erwehlet/ und niedergesetzet/ nach beyder Theile Für- und Beybringen/ Besten ihren Verständniß nach/ Recht sprechen/ und darin keinerley Gefährligkeit gebrauchen/ noch sich daran ichtes was verhindern lassen wollen. Et quidem hoc Parium judicium in tantum obtinet, ut eidem ipse Imperator, si inter illum & vasallum imperii controversia de feudo oriatur, omninò subsit, juxta communem Dd. sententiam, nec isto casu constitutio Aureæ Bullæ *tit. 5. §. ult.*

ult. ubi Palatino Rheni aliàs cognitio in Imperatorem tribuitur, locum habeat. *Rosenth. c. 12. concl. 3. n. 14. arg. c. unic. §. sententiæ de pac. const. vid. Wesembec. de feud. c. 17. Schrad. p. 10. s. 5. n. 28. & Reink. de Regim. Secul. & Eccles. l. 1. class. 4. c. 5. n. 2. Schultz. d. c. 12. n. 34.* Permissum autem est Paribus curiæ, si velint, sibi assessores adjungere, *Schrad. d. p. 10. s. 13.* &, si inter se dissenserint, tertium quendam eligere, qui vernacula nostra dicitur ein Obmann/ *Schrad. d. p. 10. s. 15.* vel etiam, ut hodie moris est, acta consilio sapientum decidenda committere, sive inter se conveniant, sive non. *Rosenth. d. c. 12. concl. 9.*

Quando Judex loci ordinarius

§. 7. *Ordinarius loci Judex* certis in casibus causas feudales dirimit, quorum præcipui sunt sequentes: (1) Si Dominus, vel Pares curiæ ex justa causa recusentur, & alii non adsint, qui substitui queant, *arg. c. 39. de offic. & potest. Jud. de leg. cap. 4. de for. comp. Schultz. de feud. c. 12. n. 43.* (2) Si Dominus vel plane non habeat Pares, vel hi in eadem causa debeant esse testes. *Schneidew. d. l. p. 9. c. 1. n. 24. & Vultej. lib. 2. c. 2. n. 40.* (3) Si mera possessorii quæstio instituatur, ob rationem manifestam, quod possessio cum proprietate nihil habeat commune, atque ita causas possessionis de feudis in Camerâ Imperiali agitari, irrequisito Seniore, seu Domino feudi, docet atque exemplo in causa Preenen contra Meltzanen & Mecklenburg firmat *Lindeman. dict. loc. n. 42.* (4) Quoties non primariò de feudo controversia est, sed incidenter saltem, veluti si vasallus hæreditatis petitionem occipiat, & illâ hæreditate feuda comprehendantur. *Mynsing. cent. 1. obs. 99. Lindeman. d. l. c. 12. n. 43.* (5) Si alter è vasallis rem veluti feudalem possideat, reus autem, rem esse allodialem, contendat,

dat, *arg. §. f. 2. f. 55. Vult. lib. 2. c. 2. n. 14.* (6) Si duo vasalli contendentes, diversos Dominos laudent. *§. si autem. & ibi FF. 2. f. 35.* (7) Si alteruter vasallorum Domini illius vasallum sese constanter neget, *Fachin. lib. 7. contr. 101.* quem tamen, cognito vasallum esse, Ordinarius ad Judices feudales remittere debet. *Zas. lib. 1. cons. 13. n. 36. Mynsi. cent. 5. obs. 75.* (8) Si Dominus ab extraneo, aut extraneus à Domino super re feudali conveniatur, vel Domini duo, aut plures inter se contendant. *Isern. & FF. in c. un. 1. f. 18.* (9) Generaliter, quoties causa qualitatem feudalem amittit, nec actio in feudum directa est, prout ita in Camera Imperiali hoc observari tradit *Rosenthal. d. c. 12. concluf. 4.*

§. 8. Arbiter denique de causis feudalibus cognoscit, quando partes litigantes Dominus & vasallus de Parium judicio convenire nequeunt. *1. f. 15. 2. f. 34. in princ. Gail. lib. 1. obs. 33.* Et potest quoque vasallus sine consensu Domini in arbitrum compromittere. *arg. 2. f. 43. & eorum, quæ habent Vultejus lib. 2. de feud. c. 2. n. 3. & Sixtin. de Regal. c. 8. n. 60.* Nec est, quòd hîc audiamus *Schrad. p. 10. f. 1. n. 166. Rosenth. c. 9. concl. 22. & Lindeman. d. l. §. 58.* scil. quòd hæc compromissio in arbitrum vergat in præjudicium Domini, vel ad minimum jurisdictioni ex jure feudali Domino competenti præjudicium inferat. Nam & Jure civili Magistratus ordinarius est constitutus & nihilosecius arbiter admittitur. Neque etiam arbitro propriè jurisdictio competit, sed is solùm libero partium consensu adhibetur, ut suo arbitrio litem dirimat. *l. 14. C. de Judiciis. Struv. Syntagm. Jur. feud. c. ult. aphor. 8.* Quando Arbiter.

§. 9. Cognitis personis Judicum, dispiciendum

Personæ ulteriores Judicium feudale constituentes, qui vel principales vel minus principales

est de personis Judicium hoc feudale porrò constituentibus, quæ æquè, ut in Civili, vel *principales* sunt, vel *minus principales*, ad hos pertinent *Assessores, Commissarii, Procuratores, Notarii, ceteriq; de qvibus latè Scrad. de feud. p. 10. s. 13.* ad illos *Actor & Reus* qualitatem feudalem habentes tam *mares*, quàm *fœminæ*, tam *filii familias*, quàm *emancipati*. arg. *l. fin. princ. C. de bon. qvæ lib. Lindeman. d. l. n. 67.* ubi observes, si actor, vel reus adhuc sit minorennis, illum, non nisi interveniente & prævio curatoris consensu ac authoritate, agere posse, arg. *l. 4. C. de Auth. præst. & l. 2. C. qvi legit. pers. stand. in jud. Schrad. d. p. 10. s. 19.* ut nec pupillum sine tutoris suffragio, *Lindeman. d. l. §. 68.* Sed utrum vasallus Dominum, non impetrata venia, in jus vocare queat, controvertitur: Negant *Sonsbec. p. 11. de feud. n. 50. & Niel. disp. feud. 10. th. 4. lit. B.* hoc argumento suffulti, quod Domino vasallus reverentiam debeat, *c. un. de Form. fidelitat.* verum personæ, quibus reverentia debetur, sine venia in jus vocari nequeant, *l. 13. de in jus vocando* Affirmant contra alii, inter quos est *Schneidew. ad §. pen. Inst. de act. Vultei. lib. 1. disscept. Sbol. c. 1. p. 24. & Minsing. 4. Obs. 93.* Nos otiosam hanc judicamus quæstionem, cum causa illa hodiè cesset, cujus impulsu olim venia roganda erat, nempè, ne rei in jus vi raperentur, *Duar. lib. 1. disp. anniversar. 1.* Hinc cessante causâ, meritò cessat illius juris dispositio & cum hodiè judicium ab editione libelli incipiat, quo edito, si apparet actionem competere, processus & citatio à magistratu decernuntur, *Petr. Frid. Mindan. lib. 1. de Proc. Execut. c. 2. Vultei. lib. 2. Jurispr. Roman. c. 27.* certè hujusmodi impetratione veniæ non opus est, quando citatio authoritate

thoritate magistratus instituitur, qui eam decernendo, vel non decernendo statim ostendit, quem in jus vocare liceat, quem non, confer. *Cujac. lib. 10. Obs. 10. Hahn. in not. ad Wesemb. tit. de in jus voc. N. 6. v. Dominum feudi Mins. 4. Obs. 92.* nisi tamen Dominus una sit territorii Dominus, vel actio subsit famosa. *Hahn. dict. loc.* quem admodum de priori casu observat. *Hartm. Hartm. Obs. 55.* quod in Camera Imp. vasallus agere volens contra Dominum suum veniam petere, idq; processibus inseri debeat, atque sic judicatum meminit in causa Massowin contra Episcopum Camminensem.

§. 10. Visis personis judicium feudale constituentibus, evolvendæ jam veniunt *actionis utriq; tam Seniori, quam Vasallo competentes, Domino* s. *Seniori* tribuitur *actio* vel *possessoria*, qua mediantibus interdictis â jure civili introductis, possessionem sibi respectu dominii directi competentem vel adipiscitur, vel recuperat, vel adversus quemcunque violentum invasorem, sive turbantem, etiam vasallum tuetur, *Lud. Postius tr. d. manutent sive summ. poss. Obs. 16. n. 41. seqq. Duar. d. Feud. c. 19.* non verò in hæredes agit, utut etiam contra sentit *Alvarus Valascus de Jure Emphyt. q. 18. n. 8.* add. *Dn. Struv. Exerc. feud. ult. th. 2.* vel *petitoria*, eaq; vel *personalis*, vel *realis*. Ad *personalem*, si ex stipulatu agere intendat, spectat *actio operæ*, ut à F. F. appellari suevit, qua Dominus, sive Senior ad servitia præstanda agit, si ex stipulatu vasallus ea promisit, si verò feudum, ob id, quod causam, i. e. servitia & fidelitatem, quorum ratione feudum aliàs concesit, non habeat, repetere studeat, *condictio causa data, causa non secuta, l. f. 21.* quam plerique *actionis ingrati* nomine indigitare cupiunt, sed

Actiones in hoc Judicio ut Seniori & vasallo utiles; ita communiter institui usitatæ.

malè eandem cum illâ confundunt, *vid. Lindeman. de Feud. c. ult. §. 25.* quæ tamen, quando ad privationem feudi agitur, ex capite *Feloniæ* ad hæredes non transit, neque adversus eos instituitur, *arg. l. 2. §. 1. ff. de collat. l. 1. §. 7. C. de revoc. donat.* nisi fortè ob Feloniam, quam vasallus incurrit, feudum ipso jure amittatur. *Fachin. lib. 7. contr. c. 104.* aut Dominus vasallo adhuc superstite, de ipsius ingratitudine conquestus, & sic lis cum defuncto contestata sit, *Hartm. Pist. lib. 1. q. 35. n. 3.* vel tandem Dominus ex justa delicti ignorantia, aut alio justissimo impedimento, querimoniam intermiserit. *Mynsi. cent. 3. obs. 97.* Ad *Realem* refertur *rei vindicatio*, quâ Dominus vi & efficaciâ dominii directi in re feudali sibi adhuc competentis, fundum feudalem à quovis possessore extraneo, *arg. tit. 2. f. 8. pr.* ut & vasallo, ejusq; heredibus, finito feudo, aut illicitè alienato, reposcere potest. *Alvarott. Bald. Præpos. in 2. f. 24. & 42. Rosenth. d. feud. concl. 12. c. 12. Sonsbec. p. 13. n. 25. Dn. Struv. Exerc. 13. th. 10. & 15. th. 11.* *Vasallo* pro diversitate negotii suscipiendi, vel suscepti diversa itidem remedia tam petitoria, quàm possessoria competunt. Aut enim ad feudum promissum, vel per successionem ad se devolutum persequendum, aut illud semel acquisitum conservandum & defendendum, aut tandem ad amissum recuperandum agit. Primo casu in *Judicio* sc. *petitorio*, si stipulatio accesserit, *actio ex stipulatu* ei applicatur, si nudo pacto actum, ex *moribus*, si ex lege, *condictio*, si per modum emptionis, ex *empto*, si per successionem devolutum, & quidem merè hereditarium, *petitio hereditatis.* Secundo casu, si qua fortè semel legitimè acquisitum feudum judicio legitimo, quod Domino denuncia-

nuncia-

nunciatum, evictum sit, eædem actiones, sive condictiones ex moribus, si verò in possessione turbatus sit, nondum tamen violentâ, sive armatâ manu expulsus, *interdicta retinendæ possessionis*, de quibus infrà, vasallo tribuuntur. Ultimo casu *utilis rei vindicatio*, aut *Publiciana*, quâ jus suum adversus quemlibet possessorem, ipsum quoque Dominum persequi potens est, §. *rei autem.* ibi: *à quolibet possidente 2. f. 8.* & quoad jura incorporalia *actio negatoria*, vel *confessoria.* In *Judicio possessorio* ad quam citissimè rei feudalis possessionem adipiscendam, conservandam & recuperandam summè salutari tam *adipiscendæ*, ut sunt *interdictum quorum bonorum* filio, aut agnato ab intestato succedenti hactenus tributum in *c. 1. §. inter filiam 2. f. 26.* & remedium *l. ult. C. de Edict. D. Had. toll.* etiam filiabus & aliis fœminis conveniens, quàm *retinendæ*, quò spectant *interdictum uti possidetis*, quod ipse pariter & ejus filii tam adversus Dominum, quàm extraneum exercet, *1. f. 3. 4. 2 f. 7. 27. Borch. c. 9. n. 18.* aliaq; retinendæ possessionis remedia ex const. Imp. de Arrestis, de Pignorationibus, *Rosenth. d. feud. c. 12. concl. 12. n. 44.* & ad ultimum *recuperandæ possessionis* interdicta, qualia sunt *unde vi & similia*, tam adversus extraneum, quàm ipsum Dominum vasallo communicantur. *Baro lib. 4. de feud. c. 7. Borch. d. loc. n. 19. Vult. lib. 2. c. 1. n. 15.*

§. 11. Enarratis actionibus in foro feudali usitatis, laborandum est maximè circa *ipsum procedendi modum*, seu *Processum feudarium*, de hoc quidem peculiaris norma nusquam prodita apparet, quin potiùs iisdem ferè regulis constat, quibus civilis, nempe quod hic quoque observentur & admittantur *Exceptiones*, *Replicatio-*

Ordo, seu modus procedendi, ejusq; singularia.

cationes, cæteræq; allegationes, Probationes, Disputationes ultrò citròq; habitæ, Conclusio in causa, Sententia, ejusq; Executio, nisi fuerit appellatum, *Matth. Steph. Oecon. feud. lib. 4. c. 3.*

tam in statu disceptationis, ibiq;

Interim cùm pleraque tamen singularia habeat, tam in *statu disceptationis,* quàm *decisionis,* & rursum in illo, tam quoad *Judicii præparatoria,* quàm *Judicium ipsum,* hæc seorsum adduxisse expediet, in *statu disceptationis,* & quidem I. quoad *Judicii præparatoria* hoc singulare, seu peculiare occurrit in *Citatione,* quod Dominus, irrequisito Magistratu, vasallum trinâ citatione ad curiam vocare debeat, eaq; justis interstitiis, ut plurimùm *septem,* vel *decem dierum* finienda sit, nec una pro tribus sufficiat, *c. un. de mil. Vas. 2. f. 22. Schrad. p. 10 c. 8. n. 85.* & si huic non pareat vasallus, vel se non pariturum dicat, Domino feudi occupandi potestas concedatur, Vasallo verò intra anni spatium ad purgandam contumaciam non veniente, illud ipsum caducum proclametur. *d. c. un. 2. f. 22. Rosenth. c. 10. concl. 25.*

(1) Quoad Jud. Præparatoria in Citatione,

Reconventione,

Deinde in *Reconventione* hoc est singulare, quod, etiamsi Reus, id est conventus actorem se convenientem vicissim ex alio capite reconvenire queat, & hæc regulariter in actionibus personalibus obtineat, *l. 14. C. de sent. & interlocut.* illud tamen in judicio feudali non permittatur, nisi fiat de causâ feudali, sive eâdem, sive diversâ, *Herm. Vultej. de feud. lib. 2. c. 3. n. 9.* & ratio evidens est, quia Paribus curiæ, vel alteri cuidam Judici feudali, non competit jurisdictio extra causas feudales. *c. un. 2. f. 16. & 20.* adde *Zœs. Epit. feud. p. 11. n. 18. Mynsi. cent. 4. obs. 90. Schrad. p. 10. sect. 6. n. 180. & seqq.*

& Sequestratione,

Denique hîc alii in *Sequestratione* hoc quoque observant singulare, quod bona vasalli, etiamsi de feudo inter ipsum & Dominum lis

lis orta sit, non sequestrentur, *Coler. de Proc. Execut. p. 1. c. 2. n. 137.* II. quoad *judicium ipsum* primum singulare est in *juramenti præstatione*, quod Judex feudalis, sive hunc constituunt Pares curiæ, sive Dominus ipse, ad nullum juramentum adigatur de æquitate & justitia, in causæ ventilandæ decisione administranda, ut jam ante dictum, neq; ut aliàs de jure communi obtinet, Vasallus à Domino, neq; Dominus à Vasallo sive juramentum fidelitatis jam ante præstiterit, sive non, *Vult. d. l. lib. 2. c. 3. n. 6.* jusjurandum calumniæ exigere possit, *c. un. §. in quibus de consv. recti feud. ibiq; Schenck. Baron. 1. & 2.* quod tamen in duorum, vel plurium Vasallorum inter se contentione secus est, quoniam textus allegatus hujus casus mentionem non injicit, at consuetudines strictam semper interpretationem recipiunt, vid. *Vultej. d. lib. 2. c. 3. n. 6.* Alterum in *præsumptione*, quod hæc in defectu probationum admittatur, & spreto, quod pro plenario probandi modo haberi nequeat, à probandi tamen onere actorem relevet, idq; in adversarium transferat, & vi hujus præsumptionis, *bona omnia* in dubio magis *allodialia*, quàm *feudalia, arg. 2. f. 26. §. inter filiam.* imò feuda potiùs *antiqva*, seu *paterna*, quàm *nova, 2. f. 11. §. si verò Dominus. & 26. pr. Henr. Zæs. d. feud. c. 2. n. 19. propria*, quàm *impropria, arg. 2. f. 2. §. fin.* magis ex *pacto* & *providentiâ*, quàm *hæreditaria* credantur. *Hartm. Pist. lib. 2. q. 1. n. 75. & seqq. Menoch. 3. præs. 95. Gail. 2. Obs. 154.* Tertium in *probatione*, quod hîc I. ad probandam feudi novi investituram *Pares Curiæ* requirantur, *cap. 1. 2. f. 32. c. 1. §. item 2. f. 58.* iiq; *mares*, non *fœminæ, d. cap. 1. 2. f. 32.* adde *Borch. d. cap. 10. n. 41.* id quod tamen moribus nostris, quibus instrumenta,

(2) Quoad Judicium ipsum in juram. præstatione,

Præsumptione

& Probatione.

sive literæ super instrumentis conscriptæ sufficiunt, in usu esse desiit, vid. *Schneidew. p. 4. Epit. feud. n. 29. Paul. Christin. vol. 6. decis. Belg. 83. n. 86. & seqq.* II. In Feloniæ probatione, quod non pauciores, quàm 5. testes summæ & integræ opinionis admittantur, *2. f. 57.* quamvis hodiè, ut in quibusvis aliis arduis causis, duo sufficiant, per tradita *Borch. d. feud. c. 10. n. 42. vers. sed hoc.* Et III. quod actori probationibus destituto, si pro ipso quædam militent præsumptiones, quas reus, licet etiam pro illo aliæ adsint præsumptiones, vel saltim possessio, elidere nequeat, juramentum, vel à reo tanquam parte litigante, vel Judice deferatur, id quod perperàm plerique, inter quos sunt *Sonsb. p. 15. n. 26. Vult. lib. 2. c. ult. n. 35.* & ex Neotericis *Petr. Gudelin. d. feud. p. 6. c. 4. n. 2. & Paul. Christin. dict. dec. 83. n. 86.* etiam obtinere judicant in casu, si actor nihil probaverit, quod tamen textui juris feudalis *2. f. 33.* apertè repugnat, in quo receptus jure civili canon, *Actore non probante, Reus absolvitur*, adhibetur & juxta illum in judicio feudali controversiam esse determinandam traditur. *Statum decisionis* quod attinet, in illo hæc notantur singularia: (1) Quòd, Actore non probante, Reus non continuò absolvatur. *c. un. §. si de investitura feudi controversia fuerit. Borch. c. 7. n. 47. & c. 10. n. 41.* Siquidem Reo adhuc defensio competit, quæ instituitur per Sacramentum cum duodecim Sacramentalibus, id est, conjurantibus, *c. un. de consv. rect. feud. & c. un. qvid sit investitura*, qui tamen jurandi modus hodiè in desuetudinem abiit. *Vultej. d. l. n. 20. in fin.* (2) Quòd Vasallus, cùm à Domino suum in judicio consequi nequit, eum deprædare possit, i. e. *de possessione dejicere. c. un. in fin. ibiq. Schenck.*

quàm Statu decisionis, ibiq; in absolutione,

Deprædatione

Schenck. Baro §. si Vasallus. n. 2. 2. f. 22. intellige tamen non propria, seu privata, sed publicâ judicis autoritate. *Struv. d. l. aphor. ult.* (3) Quòd in feudis regalibus intra sex septimanas à tempore latæ sententiæ appellatio locum habeat, *c. un. quo tempore miles investituram petere debeat.* rectè dixi *Regalibus*, quoad cetera enim feuda in casu appellationis juris communis dispositio servatur, cum jure feudali nil aliud cautum reperitur. *Vultej. d. lib. 2. c. 3. n. 28.*

& Appellatione.

§. 12. Cognitâ atque examinatâ quandoque juxta hæc etiam singularia causâ hactenus in ventilationem deductâ, proceditur tandem ad *sententiæ* non *conceptionem* modò, verùm etiam *publicationem*, in cujus tamen conceptione imprimis considerandum venit, quid actum sit, id quod ex investiturâ utplurimùm dijudicandum, utpote cujus tenor pro regulâ est in controversiis feudalibus, *Lindeman. d. feud. c. 4. §. 22.* Et si forte in judicio duæ exhibitæ fuerint investituræ, magis attendenda venit antiquior, *arg. c. 1. in fin. 2. f. 18.* ad eamq; conservandam, si posterior eidem adversetur, hæc per fraudem, vel errorem impetrata præsumitur. *Alex. cons. 55. n. 24. vol. 4. Roland. à Vall. cons. 1. n. 65.* Deinde in ferendis sententiis observantiæ imprimis & loci consuetudinis habenda ratio est, *c. 1. de feud. cognit.* ita ut omnium primo præ jure communi statuta localia de feudis observentur, & his demum deficientibus, è Jure Civili, vel Canonico, vel etiam ipso Jure feudali communi decisio petatur, *dict. c. 1. de feudi cognit.* quemadmodum hac in Pomerania nullo in negotio feudali jura communia prius observantur, quàm ubi particulares, vel universales hujus Provinciæ

Sententiæ latio & publicatio.

Jurium localium observatio in hujus conceptione præ jure communi.

ciæ constitutiones defecerint, confer Recessum provincialem, vulgò Landtages-Abscheid de Anno 1606. die 17. Maji §. Alß auch in dem Puncte. ibi: Demnach haben wir uns mit unsern gehorsamen Landständen für dieß mahl/ und biß andere Verordnung mit gemeiner Beliebung beyder Oerter Regierung und Landstände geschiehet/ dahin auch verglichen/ daß hinfüro in solchem Punct es nochmahlen bey dem Buchstaben der Privilegien und Wollinischen Bescheides gelassen/ unsere Rähte auch darauff und nicht auff die jura communia und feudalia sehen und sprechen sollen. Post hæc etiam observari meretur in ferendis sententiis, quod si juxta Jus Civile, vel Canonicum causâ dirimi debeat, interq; illa jura aliqua contrarietas, vel disparitas incidat, quoad *Reum Laicum*, juxta *Jus Civile*, quoad *Clericum* verò juxta *Jus Canonicum* pronunciandum veniat, *arg. c. ceterùm extra de Jud. c. Clericus. c. cùm sit de for. comp.* quamvis tamen in terris Imperii Jus Civile prævalere putat *Lindeman. d. l. c. 12. §. 93.* Demùm, nullo jure certo apparente, causa ex argumentis probabilibus & ab æquitate desumptis determinetur. *Lindeman. d. l. §. 94.*

Remedia hanc impugnandi.

§. 13. Sententia ita lata sæpè â gravato, prout ipsi jus esse videtur, aut per *Appellationem*, aliudve *Nullitatis*, *Supplicationis*, vel *Revisionis remedium* impugnatur, & tum, si appellatio fuerit interposita, ista ad curiam feudalem superiorem devolvitur, gradatim ab intermedio usque ad supremum secularem, non verò ad pares curiæ, id quod tamen in inferioribus judicibus obtinet, non in ipso Imperatore, quippe â judicibus tantum inferioribus datur appellatio ad judicem feudi superiorem, vel, si hic deficiat, ad eum, qui in causis civilibus

vilibus aliàs ſuperior & cujus jurisdictioni judex feudalis inferior ſubjectus, *l. f. 22. §. 12.* adde *Vultej. d. lib. 2 c. 2. n. 11. Minſing. 5. Obſ. 5. n. 2.* & *Paul. Chriſt. dec. Cur. Belgic. dec. 92.* Quod ſi verò Princeps generalem conſtituiſſet judicem feudalem, non ad Domini curiam, ſed ad ſupremum Judicem ordinarium, hodiè Cameram Imperii appellandum eſt, *Mynſing. 5. Obſ. 90. n. 4.* Prout hodiè in Germania communiter in cauſis feudalibus â Principum Curîis ad ſummum hoc Imperii tribunal appellatur. vid. *Gail. 2. Obſ. 156. n. 3. Mynſing. cent. 5. Obſ. 5.* Ad ultimum obſerves, ſententiam contra poſſeſſorem feudi latam ipſius ſucceſſori non citato, ſi ignoraverit, nequaquam nocere, adeoq; appellatione non opus eſſe, ſecus, ſi ſciverit, *Borch. c. 8. n. 62.* Et, ſi de feudis Imperio mediatè ſubjectis controverſia hactenus mota fuerit, ab ea gravatum licite ad Cameram Imperii provocare, *Struv. dict. loc. aphor. 9.* proceſſum verò ipſum, exceptis feudis regalibus, de quibus ſupra *§. 11. in fin.* eundem eſſe cum proceſſu juris civilis, ſc. quod intra decem dies à tempore ſcientiæ ſit interponenda, intra annum verò proſequenda, *Mynſ. dict. Obſ. 5. n. 5.*

§. 14. Poſt ſententiam ad præſcriptum modum latam, nec ullo juris remedio inpugnatam cauſa *executioni* demandatur, & hæc â *Paribus curiæ* plerumq; perficitur, *c. 1. de mil. qui contum.* qui ſi nolint, vel non poſſint, judex ſuperior iſto nomine compellatur. Executio autem hæc regulariter adverſus eos dirigitur, qui in lite fuerunt, non tertium, quando huic ſententia inter alios lata non nocet, ſi ignora verit, ut ſupra diximus; Et hinc eſt, quod ſi contra Vaſallum de Executio.

feudo contendentem lata fuerit sententia, Dominus verò è propria persona de jure suo agere intendat affirmans, rem illam â se Vasallo nunquam in feudum datam fuisse, hic omninò sit audiendus, *Lindeman. d. l. c. 12. n. 103.* Ultimò observari meretur, Executionem debitorum in bona feudalia regulariter, non nisi in subsidium, institui, puta si alia bona allodialia non adsunt, id quod & de feudis Pomeranicis in privil. Stat. Pom. de Anno cIↃ IↃ LX. expresse eodem modò cautum his verbis: Und da einer ohne Leibes Lehn-Erben verstürbe / die Güter auff seine Brüder / Vättern / Mitbelehneten / oder uns unsere Erben und Nachkommen verstammete und erledigte / und seines verlassenen Erbes Baarschafft und fahrender Haab so viel nicht were / daß man die Schulde darvon bezahlen und entrichten könte / so soll das Lehn die Schulden / die durch unsere hochseelige VorEltern unsere und unserer Erben Bewilligunge nohewendig geachtet seyn / tragen / so weit und ferne sich das eröffnete Lehn erstrecket. junge den Landtags Abscheid de Anno 1606. §. was für Schulde / & §. demnach haben wir und den Landtags Abscheid de Anno 1581. §. alß auch der Execution halber. Ratione tamen onerum feudalium, quò etiam spectant fœminarum dotes, eandem quoque in ipsis feudis peragi, nec minus in casu, si feuda cum consensu Domini & Agnatorum sint hypothecata, *Hartm. Pist. part. 1. q. 31. num. 18.* ubi tamen, si una adsint bona allodialia, creditoribus optio datur, utrum personali actione heredes in allodiis convenire mavelint, quibus vicissim, si solverint, actio negotiorum gestorum competit contra feudi successores, quorum bona æri alieno exemerunt. *arg. l. 12. §. 2. ff. famil. erciſc.* adde *Rauchbar. lib. 1. q. 44. & Lindeman. d. l. n. 110.*

TANTUM!

S. D. G.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0083
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787619965/phys_0088
DFG

Vasallus. n. 2. 2. f. 22. intellige tamen non
rata, sed publicâ judicis autoritate.
t. (3) Quòd in feudis regalibus intra & Appellatione.
à tempore latæ sententiæ appellatio
un. quo tempore miles investituram petere
Regalibus, quoad cetera enim feuda in
is juris communis dispositio serva-
dali nil aliud cautum reperitur. *Vul-*
8.

nitâ atque examinatâ quandoque Sententiæ latio & publicatio.
ingularia causâ hactenus in ventila-
proceditur tandem ad *sententiæ* non
, verùm etiam *publicationem*, in cujus
ne imprimis considerandum venit,
quod ex investiturâ utplurimùm di-
ote cujus tenor pro regulâ est in con-
bus, *Lindeman. d. feud. c. 4. §. 22.* Et si
uæ exhibitæ fuerint investituræ, ma-
enit antiquior, *arg. c. 1. in fin. 2. f. 18.*
andam, si posterior eidem adverse-
dem, vel errorem impetrata præsu-
. n. 24. vol. 4. Roland. à Vall. cons. 1. n. 65.
is sententiis observantiæ imprimis
linis habenda ratio est, *c. 1. de feud. co-*
m primo præ jure communi statuta Jurium localium observatio in hujus conceptione præ jure communi.
observentur, & his demum deficien-
li, vel Canonico, vel etiam ipso Ju-
ni decisio petatur, *dict. c. 1. de feudi*
dum hac in Pomerania nullo in ne-
ra communia prius observantur,
lares, vel universales hujus Provin-